

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée chez Spiritus Billiot, à Paris, en 1729.

POETA MULCTATUS A MUSIS,
QUOD VINUM BELNENSE CASTALIIS FONTIBUS ANTEPOSUERIT.

P_64 v.1 "Qua mihi tristis hiems ! Qua longo tempore saevit !
 2 Quis furor ? Indocilis gelido late omnia flatu
 3 contristat Boreas, et caelo regnat aperto.
 4 Frigore captivos indignans Sequana fluctus
 5 horret, et effracta labi immemor ingemit urna.
 6 Ora gelu turpata rigent ; e vertice cano
 7 descendunt multo imbre graves, solidique capilli,
 8 et glacie concreta fluit mento hispida barba.
 9 Quam vellet propriis caput occultare sub undis !
 10 Non licet ; injectis fixus ceu mille tenetur
 11 compedibus ; stat iners : quantum diversus ab illo
 12 qui dominae nuper properabat laetior urbi
 13 reddere, et optato mea vina recondere portu.
 14 Orat opem superum necquicquam ; at laesus. Apollo
 15 ultor adest, manet alto animo contempta sororum
 16 gloria Pieridum, spretique injuria Pindi.
 17 Ergo muneribus, quae prono Sequana fluctu
 18 ducere spondebat zephyrorum afflantibus alis,
 19 delusus fraudabor ? Erunt haec irrita dona,
 20 quae non immerito Burgundia grata poetae
 21 obtulit ? Infaustum quod sidus vindice caelo
 22 illuxit, soles contra, tepidosque vapores,
 23 tam liquidum indurans inimico frigore flumen ?
 24 Nec tibi jam fas est cognatos Matrona fluctus
 25 jungere ; vos ambo soliti concordibus urnis,
 26 civibus annonam notas portare per urbes.
 27 Unde nova haec rerum facies ? Quo crimine tales.
 28 Hi poenas meruere, meis qui cantibus olim
 29 suspensi celeres volvebant tardius undas.
 30 An pro me poenas luerent, et Apolline laeso
 31 degenerem Musae vellent punite poetam ?"
 32 Talia dicenti delapsa e vertice montis
 33 turba levi sub nube mihi se protinus offert.
 34 Musas crediderim, quondam mea gaudia, Musas

35 quam sibi dissimiles ! Toto furor, iraque vultu
 36 portendit funestum aliquid, poenasque minatur.
 37 Imprimis sed Calliope, non jam mea, triste
 38 aversata, oculis non amplius aspicit aequis
 39 me me infelicem, desertoremque poetam.
 40 Mox etiam sacras circum praecordia flammis,
 41 restinguit, subito mens percita ftigore torpet.
 42 Nec contenta, scelus verbis objurgat acerbis,
 43 non ante auditum scelus exitiale Camenis ;
 44 scilicet ante habito scribenda ad carmina Baccho,
 45 me sprevisse omnes Permessi fluminis undas.
 46 "Siccine, ait, nostros contemnis, perfide, frontes,
 47 e quibus hausisti magnam hanc ad carmina mentem,
 48 qua Superos mortalis adhuc securus adisti,
 49 caelestesque domos, vivis impervia regna ?
 50 Tu puros latices, fecundaque flumina nostris
 51 numinibus rides generoso potus Iaccho ?
 52 Quas juvenis toties supplex in vota vocasti,
 53 nunc Senior, per me licet, obliviscere Musas.
 54 Non Musis posthac opus est, nec Apolline dextro,
 55 te melior Deus intus agit ; te lusimus omnes
 56 hactenus, indecores nos ludicra numina Musae.
 57 Castaliam epoto jam fas tibi temnere Baccho ;
 58 docta tibi deinceps fuerit, tua Divio, Pindus.
 59 Burgundi proceres pateras siccare docebunt,
 60 et facili erumpent divina poemata vena :
 61 quid nos Pierides, quid laevus possit Apollo,
 62 experiere ; juvant sese, causamque tuentur,
 63 dum sontes punire volunt pia numina terras.
 64 Aeolus admissi, si nescis, criminis ultor,
 65 ad Phoebi imperium, circum cava claustra frementes,
 66 undique laxavit percusso monte procellas ;
 67 carceribus ruptis fugiuntque ruuntque per auras,
 68 frenari indociles, et vastant omnia, Venti.
 69 Ante illos Boreas immansuetissimus omnes
 70 flans glaciale hiemem violentius incubat Amni.
 71 Attonitus fremit Amnis, aquas, urnamque rigentem
 72 necquicquam indignans, non se amplius invenit alveo.
 73 Multa reluctatur ; premit hostis, et instat, et urget,
 74 insequitur fugientem, et tandem frigore vinctus,
 75 hac non nota tenus constricto pondera dorso,
 76 sustinet aeratos, quos vellet mergere, currus.
 77 Quin et in opprobrium solidos, ceu marmora, fluctus
 78 calcat quisque pedes, rigidis insultat et undis.
 79 Sic patri Oceano justum qui ferre solebat
 80 perpetuo labens cursu vectigal aquarum,
 81 immotus manet, in ripa captivus eadem.
 82 "Percute nunc citharam contempti transfuga Pindi,
 83 ad numeros tua vina vehat famulantibus undis
 84 Sequana, ait, nunc nunc Parisina in litora ducat ;
 85 certatim impellant manibus pedibusque phaselum
 86 Sequanici Tritones, ament et ludere Nymphae.
 87 Vix ea : Pierides fuis risere cachinnis
 88 delusum sine Baccho, et aqua Permesside vatem.
 89 Hinc sapite, o socii, nec sacros temnite fontes.

AD IMPROBAM MUSAM. MUSARUM INDIGNATIONEM PLACARE TENTAT.

P_65 v.1 Surda puella, meos dudum quid spernis amores,
 2 et male cur precibus surda puella meis ?
 3 Vix ego te agnovi, cum blando accensus amore,
 4 haec animum, dixi flectere sola potest.
 5 Audiit haec, spondetque animos ad carmina magnos,
 6 sed mihi tentanti carmina nulla dedit.
 7 Improbe amor, fallis, fallis magis improba Musa ;
 8 fallis, quis nescit ? Fallitur omnis amans.
 9 Ah ! quoties dixi, te numquam Musa revisam.
 10 Numquam meque suis ignibus uret amor.
 11 Me ridebat amor, nam te mea Musa revisi,
 12 ignibus atque suis fortius ussit amor,
 13 me numquam videas, te numquam Musa videbo,
 14 sed si me videas, tu videare, precor.
 15 Noctes, atque dies, tua saepe occurrit imago,
 16 incessus, tua vox, et tua verba simul.
 17 Quid non misissem ? Si non mihi dura fuisses,
 18 misissem quidquid mittere novit amor.
 19 Sed nec muneribus, precibus nec flecteris ullis,
 20 nunc gaudes nostris saeva puella malis.
 21 Ergo vale, extremo tandem te te alloquor ore :
 22 ni tecum, ah moriar ! Vivere, amemque mori.

AD EAMDEM MUSAM. MUSA CADENTE SE QUOQUE CADENTEM FINGIT.
DAMON ET LYCORIS

P_66 v.1 Cum Damona fugit celeri pede casta Lycoris,
 2 virgineus pennas nam pudor addiderat
 3 saxo offensa cadit, saxoque offensus eodem
 4 mox cecidit Damon nec cecidisse pudet.
 5 Sic lapsos ridebat amor, plaudebat utrisque ;
 6 sed subitus risum comprimit ecce dolor.
 7 Acceptum e casu vulnus monstrabat amanti,
 8 virginis in tenero pollice vulnus erat.
 9 Mox lacrimis vulnus Damon aspersit abortis,
 10 felix si medicam flendo tulisset opem.
 11 "Quod tibi feci, inquit, tempus curabit, at illa
 12 quam mihi fecisti plaga perennis erit."

POETAE RUSTICANTIS INDIGNATIO IN MALEDICAM LINGUAM.

P_67 v.1 Quae Cantiliacos irrupit pestis in hortos ?
 2 Nam video natos felici sidere flores
 3 letifero afflatu languescere : cortice rupto
 4 in lacrimas fluit, et foliorum amisit honores
 5 paulatim moriens non fertilis amplius arbor ;
 6 et Naias percussa metu sese occulit imis
 7 quae summis ludebat aquis ; non audet in auras
 8 telorum in morem vitreos attollere fluctus,
 9 vixque cavis secreta canalibus : omnia languent ;
 10 stant labi immemores grato sine murmure rivi,
 11 attonitum silet omne nemus, mutaeque volucres
 12 Antiqua hospitia et nidos non sponte relinquunt ;
 13 nec densis confisa, nec amplius abdita silvis

14 desertas valles, et inhospita tecta cavernas
 15 quaerit maesta dryas, viridi quae fronde coronam
 16 aptabat mihi : dum molli resupinus in umbra
 17 captus amore loci fundebam carmina vates,
 18 carmina Naiades repetebant, carmina fauni ;
 19 omnia tunc mihi laeta, mihi locus ipse favebat.
 20 Sed sensi sterilem subito frigescere Musam ;
 21 nec jam tam facili exhibant mea carmina vena :
 22 Nam quid dissimulem ? Infecit quae cuncta veneno
 23 dira lues, miserum me infecerat illa poetam.
 24 Hanc ego crediderim e furiis stygialibus unam.
 25 Vos Cantiliaci si tangit gloria ruris,
 26 illam Nymphae omnes quam primum avertite pestem ;
 27 si terris inimica, uratque cupido nocendi,
 28 clamosas urbes habitet, permitto : malignum
 29 exoneret virus, miserosque in proelia cives,
 30 in lites, in bella acuat, nec denique cesset
 31 impia sacrilega convicia spargere lingua ;
 32 hae sedes, notaeque domus, haec debita regna.
 33 Sed Cantiliaci timeat sacra numina ruris
 34 laedere sepositis ubi regnant otia curis,
 35 pax ubi, tuta quies, purae bona gaudia mentis,
 36 et doctis ubi fas dulce insanire poetis.
 37 Non licet hic tristes rixantum iterare querelas,
 38 non fraus, turpe lucrum, nec amor sceleratus habendi,
 39 audeat augustos impune intrare penates.
 40 Haec pestis procul abfuerit, florebitis horti,
 41 Flora suas reparabit opes, non amplius arbor
 42 amissos nuper foliorum flebit honores,
 43 et frondes inter se ostendere fructus amabit.
 44 Condaeo praesente Dryas fugitiva redibit,
 45 agnoscetque suas jam nunc sibi reddita silvas.
 46 Quin etiam latitans imo sub gurgite Naias,
 47 attollet caput, et circum salientibus undis
 48 laetitiam testata suam sese altius illa
 49 efferet, et laetos suspendet in aere fluctus ;
 50 turbaque tunc volucrum cantus oblita resumet ;
 51 et quae vincta fuit glaciali frigore Musa,
 52 Principis afflatu propioris, ut ante solebat.
 53 Tam fortunati describet gaudia ruris.
 54 Borbonidumque ducem, quem Mars his eripit oris
 55 tum reducem bello, non illa ingrata silebit.
 56 "Dum loquor ad Stygias pestis fugit atra sorores."

E RURE CANTILLIACO 1696.

PLUTO CAPELLUS AD SERENISSIMAM PRINCIPEM,
 UT EJUS POSSIT IN GRATIAM REDIRE EXPOSTULATIO.

P_68 v.1 Quae mea sors ? Audite canes, audite catelli
 2 natum ad blanditias et genus omne canum.
 3 Sed domina imprimis non jam mea, poplite flexo,
 4 oro ne precibus sis male surda meis.
 5 Ille ego, qui quondam Regali exceptus in aula,
 6 heu ! Nunc sub tecto paupere vivo miser.
 7 Pane nigro, et vili jejunos nutritor esca,
 8 potus, lac acidum ; frigida terra, thorus.

9 In poenam me regificis e sedibus arces,
 10 nec me homines inter degere jam licitum est.
 11 Vivo canes inter, qui me risere sodalem,
 12 e numeroque canum deleor ipse canis.
 13 Horrisonis terrent tenues latratibus auras,
 14 Naiades attonitae fluminis ima petunt.
 15 Vilis, spretus, inops prona cervice saluto
 16 magna mole canes, et mihi paene lupos.
 17 Haec leviora : aliquid me me magis urit, alendis
 18 qui canibus servit, dat mihi jura ferox.
 19 Trux succedit herus ; jam non vocor amplius, olim
 20 Pluto tuus, dederat quod mihi nomen amor.
 21 Rustica vox pro blanditiis sonat auribus, et me
 22 fustibus, ore minax antra subire jubet.
 23 Urbe procul, procul aula, et quod funestius, a te
 24 deseror infelix ; quae mea culpa fuit ?
 25 Avulsum gremioque tuo, mensaque, toroque,
 26 quid superest ? Saxis obrue me, vel aquis.
 27 Ah ! Potius subeat melior sententia mentem ;
 28 Pluto rogat, Pluto, semper, ut ante, tuus.
 29 Si tangunt te nostra, tui miserere catelli,
 30 eripe me tantis, cara Magistra, malis.
 31 O ubi nunc faustique dies, noctesque beatae ?
 32 Cum nos mensa eadem, nos caperetque torus.
 33 Quam lautis dapibus vescebat ! Et optima mensae
 34 fercula surripiens fur tibi gratus eram.
 35 Tu male compositam gaudebas pectere barbam,
 36 cui cedant capreae, barbiferique patres.
 37 Hirsutique pili dextra poliente redibant
 38 in sese, pexis et suus ordo pilis.
 39 Saltando tibi conabar persolvere grates ;
 40 hi crebri saltus pondera vocis habent.
 41 Non ego munificas cessabam allambere lingua,
 42 quae mihi praebebant fercula grata, manus.
 43 Quin etiam audebam pedibus stans rectus in altis,
 44 quae non sponte dabas oscula, surripere.
 45 Saepe lacessitus potuissem infigere dentem,
 46 dens parcebat hebes ; laedere nescit amor.
 47 Et memini, ut posses tibi conciliare soporem,
 48 te vidi doctos volvere saepe libros.
 49 Auribus arrectis capiebam verba, tuisque
 50 mens tua nota mihi nutibus, atque sonis.
 51 At dum blanda quies paulatim illapsa per artus
 52 claudit, et irrepens lumina fessa sopor.
 53 Excubias vigilae Dominae bene fidus agebam :
 54 ceu media positus nocte satelles eram.
 55 Quid me ergo immeritum post tot benefacta relinquis
 56 crudelis ! Longum mittis in exilium :
 57 o duras hominum mentes ! O corda ferarum
 58 plusquam humana ! Tuam posco, negasque fidem.
 59 Sed quid vana loquor ? De te meliora, redibo,
 60 nam reditum inspirans accelerabit amor.
 61 Cuncta favent ; Princeps sortem miseratus iniquam
 62 oravit causam, nos amat ille, meam.
 63 Si non ista movent, Galateam attentius audi,
 64 optima eget grandi causa patrocinio.
 65 De me mira canet, tunsam me in pelle nitentem
 66 dicet, et exutum jam rediisse caput.

67 Restituit natura pilos, barbamque verendam.
 68 Perdideram barbam, perdideramque pilos.
 69 Si risum moveat brevior coma, munere amici
 70 induam adoptivos, mos viget ille, pilos.
 71 Non adeo informem puto me fonte videbam
 72 nuper ; Nympha loci, Sylvia, testis erat.
 73 Me quoque spectabat stupefacta silentibus undis,
 74 fons Cantilliaci, Sylvia, ruris amor.
 75 Quod si nulla meae tangit te cura salutis,
 76 Plutonis Stygias Pluto redibo domos.

E RURE CANTILLIACO.

PLUTONIS CAELLA FATUM AD SERENISSIMAM PRINCIPEM.
 ILLIUS POSTREMA VERBA.

P_69 v.1 Ergo nostra tuum non flexit epistola pectus
 2 crudelis ? Nostrae nil potuere preces ?
 3 Quo tibi cessit amor ? Teneri quo cura catelli ?
 4 Non promissa semel nunc ubi prisca fides ?
 5 Ille tuus Pluto, nuper tua gaudia, Pluto,
 6 qui modo gentis eram, lausque, decusque meae.
 7 Pauper, nudus, inops, peregrinus et exsul ab aula
 8 opprobrium pagi nunc ego vivo miser.
 9 Non bene conveniunt lepidis lamenta catellis.
 10 Nati ad blanditias, turba jocosa, sumus.
 11 Illecebris trahimur, trahimur dulcedine vocis.
 12 Nos mollesque joci, blandaque verba juvant.
 13 Ludere, nugari non dedecet : optima pars est
 14 muneris haec nostri, mille placere modis.
 15 Si quando juvat irasci, quam fingimus iram,
 16 haec brevis in dulces desinit ira jocos.
 17 Et bene si memini, tibi sic, Regina, placebam,
 18 et conviva tuus, petpetuusque comes.
 19 Oscula mille dabam, reddebas oscula mille,
 20 creber perque tuos ire, redire sinus.
 21 Nec crudelis herus longo me fune trahebat ;
 22 ne te desererem, vox tua funis erat.
 23 Saepe breves, fateor, campo lascivus aperto
 24 tentavi, simulans longius ire, fugas ;
 25 et quamquam similis fugienti, ad jussa redibam
 26 protinus in gremium, casta puella, tuum.
 27 Dic ergo unde tuus, dic unde refrixerit ardor ?
 28 Conveniuntne meis tot mala criminibus ?
 29 Dic causas odii, Plutonem nuper amabas ;
 30 nobis mensa eadem, lectus et unus erat.
 31 Plutonem domus omnis, et atria longa sonabant,
 32 Plutonem, miserum me modo cuncta silent.
 33 Tanti causa odii, si non male suspicor, illa est :
 34 displicui ; magnum est displicuisse scelus.
 35 Non jam Pluto tuus, quamquam et tuus ; aspera vitam
 36 Fata adiment, nostram non tamen illa fidem.
 37 Indiderat quidquid canibus natura ferinum,
 38 exueram ; Dominae captus amore meae.
 39 Non furor, aut rabies, nec me mala corripit ira,
 40 conveniat rabidis ira, furorque lupis.

41 Attentus tibi saepe, tuis e moribus hausī
 42 urbanos mores, dedidicique feram.
 43 Ipsi mitescant posita feritate leones ;
 44 blanda tuo, Princeps, si datur ore frui.
 45 Pingitur in toto et spirat clementia vultu,
 46 quodque geris vultu, moribus esse probas.
 47 Sic ego mitis eram, docilisque et nescius irae,
 48 exemplo sapiens, compositusque tuo.
 49 Adjiciam quid plura ? Canes audite, meamque
 50 invidet sortem, qui tenet astra, canis.
 51 Condaeī potui mihi conciliate favorem,
 52 sit quanti, nescis, ponderis ille favor ?
 53 Quin etiam venit in partem Galathea doloris,
 54 illi carus eram, mi quoque cara fuit.
 55 Et placidis quae me fons Sylvia viderat undis,
 56 non potuit lacrimas tunc retinere suas.
 57 Sola meos gemitus, et tristes surda querelas
 58 non audis, aures obstruis ipsa tuas.
 59 Vivo canes inter, quos et sitis urit, et urget
 60 implacata fames, quos facit ira lupos.
 61 Triste quod augurium, dirae quae mortis imago ?
 62 Effuso tellus sanguine tincta madet.
 63 Jam jam acuunt dentes, crebris et hiatibus ora
 64 diducunt, vivus devoror ante necem.
 65 Vestigant praedam, rabidi solacia ventris,
 66 actum est ; praedae avidis Pluto sit esca lupis.
 67 Dilanior ; crepitant teneri sub dentibus artus,
 68 en meus irrorat guttura sicca cruor.
 69 Forte mea absumpto restabit corpore pellis.
 70 Exuvias, Princeps, accipe, quaeso, meas.
 71 Illa tuos cedat, funestum munus, in usus,
 72 vestiat et niveas pellis amata manus.
 73 Arcebit frigus ; nostrae nam semina flammae
 74 servat adhuc, latet hic non moriturus amor.
 75 Palpabis poliesque pilos, haec forsitan addes ;
 76 hae sunt relliquiae, quas gero, Pluto, tuae.
 77 Non totus moriar, pars utilis illa manebit,
 78 sis nostri, hoc dono, post mea fata memor."
 79 Dixerat haec ; vitamque canum sub dente reliquit.
 80 Debuit heu ! fato nobiliore mori.

IN CENSORES CARMINUM INIQUOS, FABULA.

P_70 v.1 Qui doctis palmam eripiunt, nomenque poetis,
 2 censores operum hoc versu damnantur iniqui.
 3 Ad cantum citharae piger obsurdescit asellus,
 4 dum rudit, ipse suae captus dulcedine vocis,
 5 se miratur egens animae, nec cessat anhelus.
 6 Donec ridiculis clamoribus impleat auras.
 7 Exhalantem animam media inter gaudia credas.
 8 Sic aliis longe anteferunt sua sensa, suoque
 9 arbitrio sapiunt, quibus est ignotus Apollo,
 10 et quibus invisae, Pindi sacra numina, Musae.
 11 Ultrices scelerum, vos posco, accedite Poenae.
 12 Quamprimum Stygias animorum exstinguite pestes.

AD CAROLUM PERERIUM AMICUM QUONDAM SUUM, UT A SATIRA ABSTINEAT.

P_71 v.1 Siccine mordaces meditaris scribere versus,
 2 optime Pereri, totoque Helicone relicto,
 3 ad Stygias descendis aquas, ubi tingere possis
 4 fatalem calamum, et tristi exsaturare veneno ?
 5 Si quae restat adhuc, mihi crede, hanc exue mentem.
 6 Te non ira decet, sub honesto pectore Dirae
 7 non habitant : male conceptos dedisce furores,
 8 non aestu patiari rapi. Tibi bella moveres,
 9 quae mihi, clamoris mox explodenda theatri.
 10 Quin potius mites et amicas consule Musas.
 11 Quod si forte mei te gloria carminis urat
 12 supra alios qui te lyricis in versibus effers,
 13 rumparis licet inde, jecur descendat in altum
 14 ille dolor : scelus est, nescis, vel laedere lingua,
 15 quos Deus et dictat, quos et Deus approbat hymnos.
 16 Ah ! potius mites et amicas consule Musas.

AD CHAERILUM, QUIS POETA BONUS. (LENGLIETII POEMA)

P_72 v.1 Quaeris, Chaerile, quos amem poetas ?
 2 Quaeris, Chaerile, quos velim poetas ?
 3 Si nescis, stomachosior, palati
 4 et sum, Chaerile, delicatioris.
 5 Odi, Chaerile, putidos poetas,
 6 vanos, indociles, locutuleios,
 7 qui se plus nimio volunt placere,
 8 qui se plus nimio volunt probari,
 9 illos, Chaerile, non amo poetas.
 10 Non me marginibus poeta pictis,
 11 aut charta movet elegantiore ;
 12 non me litterulis probe exaratis,
 13 non me tegmine splendido libelli.
 14 Illum, Chaerile, amo et volo poetam,
 15 qui pura nitidus locutione,
 16 et sensu gravis, et profundus ore,
 17 aequus, compositus, sibi cohaerens,
 18 sui consimilis sui que compos,
 19 splendescat mihi luce non maligna.
 20 Nolo gloriola nimis tumentem,
 21 nolo qui nimium se amet poetam ;
 22 qui se venditet ipse, praedicetque,
 23 et se praeferat omnibus poetis,
 24 qui suffragia supplice ostiatim
 25 lingua, et multiplici ambiat salute,
 26 qui tecta obsideat potentiorum,
 27 et nummo insidietur expetito,
 28 qui desiderio impotens lucelli
 29 et, famae levis appetens, laboris
 30 captet praemia non sui, et superbus
 31 pennis compita non suis oberret :
 32 illum, Chaerile, non amo poetam,
 33 et fuco faciem oblitum doloso,
 34 et buccas tumidum insolente fastu,
 35 qui nunc se rapido sub astra nisu
 36 sublimem levat, et modo jacentes

37 per terras iter expedire tentat.
 38 Qui nunc floridulus, politulusque
 39 fragrantis Charitum ambulat per hortos,
 40 et nunc horridus, atque senticosus
 41 in silvestribus haesitat vepretis.
 42 Qui nunc limpidior cadente lymphā,
 43 ripis mollibus assilire gaudet,
 44 et nunc turbidus, atque faeculentus
 45 pigra desidior palude torpet.
 46 Illum, Chaerile, non amo poetam.
 47 Illum, Chaerile, amo et volo poetam,
 48 qui laudem sibi non emit precando
 49 nec vulgi occupat aestimationem,
 50 sed qui Pierio labore clarus,
 51 et famae sibi conscius futurae,
 52 non voces hominum imperitiorum,
 53 non ora improba curat invidorum,
 54 paucis dummodo, et haud ineruditus
 55 se forma satis, et decente cultu,
 56 et laude ingenii sciat placere,
 57 illum, Chaerile, amo et volo poetam.

AD JOAN GERBASUM DOCTOREM SORBONICUM PROFESSOREM REGIUM.
 DE MINUS OPPORTUNA LENGLETII PROFESSORIS REGII
 AD SANTOLIUM VICTORINUM ADMONITIONE. IAMBUS.

P_73 v.1 Fastum insolentem convenit deponere,
 2 amice ; pietas id velit, poscat pudor,
 3 et cara sacris vatibus modestia.
 4 Sed quando vates propior afflavit Deus,
 5 et alta Divum pandimus mysteria,
 6 sentire de se magna, quis durus vetet ?
 7 Scribentis animus rapitur oblitus sui,
 8 humo et relictā se supra mortalia
 9 attollit, astris condit et sacrum caput.
 10 Jam major homine, proximus et ipsi Deo.
 11 Hoc Christianis contigit vel vatibus,
 12 Gerbase, justa lance si perpenderis :
 13 haec nostra non est, sed Tonantis gloria.
 14 Quid ergo vehemens praedicat modestiae
 15 tuus ille vates, qui pio sub nomine
 16 nimis severus censor objurgat meos
 17 carpitque mores, calamo et audaci notat ?
 18 Quin et latentes pectoris sensus mei
 19 penetrat, sinister mentis interpret meae.
 20 Quo jure id ausus, oro, qua licentia ?
 21 An sic profanus in sacros minaciter
 22 impune vates surgat, et censorio
 23 fastu ferox insultet, ac senior seni,
 24 amico amicus improbam litem inferat ?
 25 Cur sacra Superis plectra, quae nondum manu
 26 tremante pulso, me jubet reponere ?
 27 Cur alta spirans, et velut plenus Deo
 28 quam forte nescit, ire nos viam docet,
 29 et nos adire suadet aeternas domos
 30 mentis volatu libero ; ille dum sedet
 31 in fabuloso montis Aonii jugo,

32 dans jura doctis vatibus, Pindi arbiter.
33 Non hic querelae finis ; urget acrius ;
34 gravem modestis auribus, quos condidi
35 dum recito versus, arguit superbiam.
36 Nos ergo fracta voce, languenti sono,
37 recitare versus, templa queis resonant, velit ?
38 Dum magna canimus, et tubam pulmonibus
39 inflamus altis, frigidos quales petit,
40 odi poetas, hos amo qui numinis
41 haustu quid altum, viribus fisi audeant,
42 qui martiales ad tubas, ad tympana,
43 inter furores, et tumultus bellicos
44 caleant et ipsi, fraena det Lengletius,
45 non frena patiar, dum furore percitum
46 me me poetam propior afflabit deus.
47 Nuper politos, elegantes, aureos,
48 cum legeret ipse, docta quos casti parens
49 sermonis olim Roma non neget suos
50 versus ; sonabat eruditis auribus,
51 plaudens amicis non minus plaudentibus.
52 Laudator aderam ; non egebat laudibus
53 suus ipse praeco, et ipse mirator sui.
54 Dum librat ore tam rotunda carmina,
55 carmina futuris audienda saeculis.
56 Nos aliquid ore dicere haud modico, est nefas ?
57 Sibi sed ipse placeat, ac plaudat, licet.
58 Illi relinquo vana Pindi numina.
59 Inventa vatum, ludicrum divum genus,
60 insanientis falsa mentis somnia,
61 dudum abdicavi ; me vocat major Deus,
62 haurire sacris sacra qui dat fontibus,
63 qui me beatas imperat percurrere
64 sedes Olympi, nec gravem pavescere
65 ad fulgurantis numinis praesentiam ;
66 oculo irretorto lucis aeternae jubar
67 dat sustinere, quando se dat aspici.
68 Hinc alta sapimus, noster hinc fastus venit.
69 Quid ergo nobis cecinit infausto omine
70 tuus ille vates ? Nescit heu ! tragoedias
71 quot excitarit, quod semel calamo excidit
72 verbum ? Poetis est suus sacris furor,
73 sua bella, cauta mente non sat prospicit,
74 quam magnam inurat nomini labem suo,
75 quo nos lacessit, hoc lacessit caelites
76 Deumque telo, timeat ultorem Deum,
77 omnesque Superos, ni retexat paenitens
78 versus maledicos, spongiaque delet.
79 Sed ille valeat ; aula tota caelitem
80 sibi me reposcit, ac poetam vindicat.
81 Offertque pennam, quam putem avulsam sacris
82 pennigerum ab humeris : "Non tibi posthac licet,
83 (hanc offerendo dixit unus alitum)
84 scribere profana, nec licebit amplius."
85 Non plura scribam : me modestum jam canat,
86 et Christianum me poetam praedicet.
87 Hoc gloriamur, quod nihil sublimius,
88 quo nos beati vivimus nunc nomine
89 si litteratos inter affectat greges

90 scribi ; haud recuso, non meae dispendio
 91 famae ; Latinis imperet princeps choris,
 92 Apollinarem sponte cedo lauream.

AD JOAN. COMMIRIUM S.J.

P_74 v.1 Miris amicum plectis, et crucias modis,
 2 amice, poenas cur ego immeritus luam ?
 3 Aut mitte versus, quos Apollo praedicat,
 4 aut mitte restem, me pudet jam vivere.
 5 Actum est, peribo. Ni meis respondeas
 6 bonus petitis ; non procul a me Sequana
 7 undis abundat, est profundus alveus.
 8 Haec verba recoquas mente ; postremus dies
 9 postrema jussit scribere ad te carmina.

SANTOLII VICTORINI SUB AQUIS EXSTINCTI UMBRA REDUX.

AD JOAN. COMMIRIUM S. J.

IRONIA.

P_75 v.1 Ad Stygias tandem descendi naufragus undas,
 2 Sequanicis vates qui modo mergus aquis.
 3 Undarum nunc ludibrium, data piscibus esca,
 4 littore corpus iners, et sine honore jacet.
 5 Admisso merui tales pro crimine poenas,
 6 mortis causa meae, proh dolor ! Ipse fui.
 7 Aonios fontes, nec jam potare licebit
 8 quae toties hausi flumina plena deo.
 9 Nec posthac te, audite, tuosque ediscere versus,
 10 Commiri, Ausonii luxque decusque chori.
 11 Nec mihi fas, quando sacras operaris ad aras,
 12 aspicere afflatum te propiore Deo.
 13 Haec, quam sustineo gravis est, sed debita poena :
 14 est aliquid, quod me torquet, amice, magis.
 15 Scilicet ante oculos tua semper oberrat imago,
 16 me cruciat miris, post mea fata, modis.
 17 Increpitat ; calamumque tenens mihi multa minatur,
 18 nec satis est, dixit, te periisse semel.
 19 Si terris tibi restat adhuc vel nominis umbra,
 20 hanc perimam ; poenas tu mihi, stulte, dabis.
 21 Exprobrat ingratum facinus, quo tristius ullum
 22 haud fuit ; ultores poscit in arma deos.
 23 Credideram, quando occubui crudelibus undis,
 24 me tam crudeli morte piasse scelus :
 25 sed scelus est, quod non lustralibus abluat undis
 26 Sequana, et immensi non lavet unda maris.
 27 Audite, o seri, crimenque horrete nepotes,
 28 scribere quod refugit mens, trepidatque manus.
 29 Nuper ego ornanda pro Regis imagine vates,
 30 haec duo sculptori carmina forte dedi.
 31 "Vicistis inaccessis confisas rupibus arces ;
 32 miraris ? Per Rhenum hic sibi fecit iter."
 33 Hinc morior ; decus unde mihi, Regique parabam,
 34 demens ! Hinc misero mors mihi certa venit.
 35 Condideram iratis ex tempore carmina Musis,
 36 carmina, quae lacrimis sunt abolenda meis.

37 Indignata meos versus muta aera recusant,
 38 sculptorisque negant, decipiuntque manus.
 39 Nil nisi divinum debent insculpere vates,
 40 Commiro et Musis non placuisse nefas.
 41 Tunc me Musae omnes, etiam te iudice sontem
 42 devovere neci ; statque juvatque mori.
 43 Vos Clarii montes, Latiis sacra templa Camenis,
 44 non, ego non posthac numina vestra colam.
 45 Jamque vale, Fraguere, vale, mea cura, Jovenci,
 46 tuque, Buhursi, oculis carior ipse meis ;
 47 undique dum resonant longis ululatibus antra,
 48 quaenam, mente agito, mors subeunda foret.
 49 Me flammis alii, damnant me fluctibus illi,
 50 crimina nam flammis, namque piantur aquis,
 51 tum sacram avellunt cano de vertice laurum,
 52 Santolii vertunt nomen in opprobrium.
 53 Calvitio informem, et nudum risere poetam,
 54 turba Tarillonum, turba faceta jocis.
 55 Sese inter quando haec agitant, clam flumen in imum
 56 me misi, propior scilicet amnis erat ;
 57 Sequanides Nymphae vatem flevere sub antris,
 58 indignansque pater Sequana vertit aquas.
 59 Sistere quam fluctus voluisset ! Et impetat undis
 60 nequicquam ; imperio surdior unda fuit.
 61 Sic fatum implevi, tibi plectra, lyrasque repono ;
 62 et quibus accendis Martia corda, tubas.
 63 Te scribente, scelus meditari et scribere versus,
 64 scripsit, mox poenas Musa proterva dedit.
 65 Commiri divinum, et non imitabile carmen,
 66 ausa est flebilibus dilacerare modis.
 67 Invideat nemo Latii sermonis honores,
 68 in te sese omnis lingua Latina probat.
 69 Quid me ergo insequeris Parnassi maximus ultor,
 70 non uno armatus carmine, terribilis ?
 71 Tecum mille trahis peditesque, equitesque figuras,
 72 ad nutum dociles et tua jussa obeunt.
 73 Fatiferos versus, et sesquipedalia verba,
 74 horribilesque sonos sub dicione tenes.
 75 Stant vocum galeatae acies, jamjamque paratae
 76 irruere, imprudens te quis in arma vocet.
 77 Quot strages ! Quae bella ! Suis adverbium verbis
 78 si jungas, vix me Tartata nigra tegent.
 79 Quod si forte graves jacias iratus iambos,
 80 bis moriar, nec erit sat petiisse semel.
 81 Finieram ; dudum ille preces placabilis audit,
 82 et calamum frangit, quo periturus eram.
 83 Mox mea, quae ripa collegerat, ossa sepulchro
 84 condidit, hoc scripsit carmen amica manus :
 85 "Qui vatem egregium demens in bella vocavit,
 86 hic situs est, mersus flumine, Santolius."

IN VOTIVA TABELLA AD AEDEM D. GENOVEFAE, PICTUS FRAUDULENTER
CONQUERITUR.

EX ALBO SANTOLIUS NIGER AD CL. BOSC URBI PRAEFECTUM.

P_76 v.1 Huc Pietas, huc Relligio, vos quotquot Olympi
2 incolitis superas, regna beata, domos.

3 Si quid ego merui, praeconi occurrite vestro,
 4 ludimur ; hoc ludo luditur ipse Deus.
 5 Augusto in templo pendent ubi mille clientum
 6 munera, placando munera digna Deo :
 7 pictus in opprobrium nigro deformis amictu
 8 monstror, et exutus vestis honore meae.
 9 Quo factum sit consilio mihi dicite, non est
 10 conveniens niveis moribus ille color.
 11 Sacra inter pompae solemnia texere fraudes
 12 non licet, hinc fraudum non procul ultor abest.
 13 Votivae scelus est apponere falsa tabellae,
 14 spirat ubi fuci nescia Relligio.
 15 Praetor ubi, magnaetque Urbis pars magna, Quirites,
 16 dum sitiunt segetes, te, Genovefa, vocant.
 17 Annuis, et subito nubes rumpuntur, et imber
 18 nubibus effractis jussus in arva ruit.
 19 Spes reedit agricolis, spes civibus, ipsaque Tellus
 20 mirata est fruges luxuriosa suas.
 21 Pro dono accepto memores, tibi debita solvunt
 22 vota, dat obsequii pignora quisque sui.
 23 Me permixtum illis sublustri noctis in umbra
 24 ut vidi, obstupui : vix mihi notus eram.
 25 Quantum a me mutatus ! erat non amplius ille
 26 ingenuus vestis candor, honorque meae.
 27 "O Superi ! exclamo, quae deturpavit amictus,
 28 illa audax fuerit, trux, inimica manus ?
 29 Non bene, qui niveos pennarum ostentat honores,
 30 nigrantem in corvum vertitur albus olor.
 31 Non potuit pictor vestis violare nitorem,
 32 Praetor et aediles hac quoque fraude carent.
 33 Nec crimen potuit Pietas suadere, nec ausa
 34 fallere quae nescit, candida Simplicitas.
 35 Vos neque Caelicolae vatem punistis amicum,
 36 qui vestro afflatus numine sacra canit.
 37 Hoc totum est Livoris opus, qui splendida lucis
 38 tam purae haud patiens fulgura nube premit.
 39 Dat varios vultus, dat nomina falsa, coloresque,
 40 et vera obscuris celat imaginibus.
 41 Apponit larvas, confundit, et omnia foedat,
 42 fraudis amans noctes spargit ubique suas.
 43 Ne, Genovefa, sinas foedari impune colorem
 44 virgineum, Virgo es, te decet ille color.
 45 Nos etiam, qui te sequimur, Patrona, volentes,
 46 Tu custos nostri, praesidiumque gregis.
 47 Is male te pingat, si te, quas rustica Virgo
 48 olim pascebas, non comitentur oves.
 49 Quis pharetram, divo quis spicula demat Amori,
 50 casta quibus figit corda pudicus Amor ?
 51 Solus ego patiar spoliari insignibus illis,
 52 virgineos inter queis licet ire choros ?
 53 Ah ! me redde mihi, vesti quoque redde colorem,
 54 fac in Santolio noscere Santolium.
 55 Quando sum rebus nox abstulit atra colorem ;
 56 mox redeunte die redditur ille color.
 57 Quod posco, facile est, facilis concede quod opto,
 58 cum bona sis, tanti non erit ille favor.
 59 Velleris ille color solitus placare furores
 60 me quibus accensum desipuisse ferunt.

61 Saepius afflabat blandum Virtutis amorem.
 62 Vestis ad aspectum, mitis ut agnus eram.
 63 Non dicam, quibus et titulis sis nostra, tuique
 64 jure pari fimus, te meminisle juvet.
 65 Victorina parens olim tibi docta magistros
 66 misit, Virgo, tuae lumina prima domus.
 67 Et fixit leges, dedit et praecepta, pioque
 68 frenari indociles subdidit illa jugo.
 69 Illa tuos mores formavit, et integra normam
 70 tum bene vivendi prima magistra dedit.
 71 Degeneres nati dubitant agnoscere matrem,
 72 unde illis omnis gloria, et omne decus.
 73 Scilicet emeritum me vatem impune lacescent,
 74 ausi sacrilega tollere sceptrum manu ?
 75 Lauricomam avellent e cano vertice silvam,
 76 nec mea qui cingat tempora, ramus erit ?
 77 Ora niger, niger et vestes, nigraque sub umbra
 78 insanam plebis vertar in opprobrium ?
 79 Ah ! potius nostro tingatur sanguine vestis :
 80 hac hac purpurea veste superbus ero.
 81 Perfodiant, nudum patet ecce ad vulnera, pectus ;
 82 felix ! si fosso pectore sanguis eat.
 83 Hanc animam e Thoma non haeres degener hausit,
 84 qui pro servandis legibus occubuit.
 85 Justa queror, nec me facit indignatio vatem,
 86 scribere sic jussit Religionis amor.
 87 Si mea apud seros per carmina fama nepotes,
 88 fors eat, et restet nominis umbra mei :
 89 posteritas repetet, licet infrendentibus annis,
 90 totum avida, atque inhians cernere Santolium.
 91 Non adero ; mox frendet, et indignata tabellam
 92 mordebit, quamquam o ! sit Pietatis opus.
 93 Sed quid ego haec autem ? Per fraudem vestibus ater
 94 sim totus ; modo sit candida vita mihi.
 95 Dum scribo, en niveum reddit, Genovefa, colorem,
 96 plaudite, jam mutor, reddor et ipse mihi.

VICTORINA DRYAS ARBOR EXCISUS ET AVULSUS CONQUERITUR.

P_77 v.1 Regales hortos, circumque virentia prata
 2 quae dudum incolitis, silvestria numina, nymphae,
 3 tuque diu exspectata, et nostris debita votis
 4 Victorina Dryas, nostros confundere fletus
 5 vobiscum liceat, simul et miscere querelas.
 6 Vidi ego, dum nuper vestris spatiabar in hortis,
 7 post duras hiemes, post longa incommoda brumae,
 8 dum ver auricomum Phoebus redeunte redibat,
 9 spem silvae ingentis, nudi nova gaudia campi ;
 10 vidi succisas repetito vulnere quercus,
 11 eversasque domos avium ; tellure jacebat
 12 congeries lignorum, avidis data pabula flammis.
 13 Quis potuit tantum, o Superi, committere crimen !
 14 Vidi etiam rupto turgentibus cortice gemmas,
 15 quae nondum audebant duro se ostendere caelo,
 16 caeli intemperies illis ne forte noceret
 17 quaeque suo jam nunc arbor laetissima succo
 18 spondebat ramos, spondebat frondea tecta,

19 spondebatque sacris dilectam vatibus umbram.
 20 Hic ego, dicebam, potero jam solus in umhra,
 21 secessu in placido, meditari et scribere versus.
 22 Fas erit et latitare, umbrisque in luce potiri.
 23 Sed mihi non licuit jam spe, votisque beato,
 24 et nascens nemus, et nascentem cernere silvam :
 25 nam licet in teneris nondum folia ampla virebant
 26 arboribus, nimium Naturam urgere morantem
 27 carminibus vates potuissem. Carmina silvae
 28 audivere, et habent attentas vatibus aures.
 29 Una Dryas fertur nondum violata securi
 30 has flendo fudisse preces. Huc jussa venire,
 31 quae modo florebam regalibus hospes in hortis ;
 32 non peream, nobis ex omnibus una supersim,
 33 insigni titulo, quae Victorina vocabor.
 34 Si nostram penitus jurasti evertere gentem,
 35 crudelis Lycida, quem nos praefecimus hortis ;
 36 isti fida loco talem philomela ruinam
 37 si sciret, reditum urgendo, te multa furentem
 38 mulceret querulo cantu ; solet illa quotannis
 39 umbra tuta mea silvestrem hic ponere nidum,
 40 hic pullos nutrire ; deae miserere precantis.
 41 Ille preces et vota deae frustra gementis
 42 heu ! silvae durus non audiit, icta securi
 43 communi cecidit fato, junxitque sorores.
 44 Antiquum rediit chaos infelicibus hortis.

AD BELLEVRAEUM ECLOGA.

DEPLORAT POETA

QUOD DESERTO RURE BELLEVRAEO SE IN URBEM INVITUS RECEPERIT.

P_78 v.1 Vos Belleuraei, nuper mea gaudia, colles,
 2 vos nemora, irriguis vos stagna tumentia rivis,
 3 et liquidi fontes, et quae sub fontibus imis
 4 effusae flavos per candida colla capillos,
 5 mollibus in tunicis gaudetis ludere Nymphae.
 6 Si quis inest (vidistis enim me saepe legentem
 7 et de litoribus meditantem carmina vestris,)
 8 si quis inest vobis sensus, si numen habetis,
 9 excipite o tristes, neque enim mora longa, querelas.
 10 Dum magis arridet vitae melioris imago,
 11 et bona pax, et blanda quies, et sancta voluptas,
 12 ruris deliciae, et castae bona gaudia mentis ;
 13 aspera fata jubent vestris discedere campis :
 14 omnia ubi mihi laeta, jugoque solutus ab omni,
 15 exsultans animis, hac libertate fruebar,
 16 quam precibus, dudum, et lacrimis votisque petebam,
 17 obtestans Superos omnes, si flectere possem.
 18 Has, Belleuriades, lacrimas, haec vota, precesque
 19 audit, et optatam spondet mihi denique sortem.
 20 Me fortunatum ! Si quae dedit otia nobis,
 21 ille idem servasset, amat namque ille Camenas ;
 22 illic non poteram jussos tum scribere versus,
 23 et tuto insanire, rudemque exponere Musam,
 24 proque tuba tenues calamos inflare licebat ;
 25 innocuos neque erat, qui jam objurgaret amores,
 26 nec mea sacrilego qui carmina carperet ore.

27 Non lites, non bella domi, rixasque movebat
28 imperio durus caperata fronte Palaemon.
29 Si non justa dabam, non justa aliena sequebar ;
30 me quando fessum studiis sopor altus habebat,
31 saepius increpitans non me sonus aeris acuti
32 cogebat dulces quamprimum abrumpere somnos,
33 aut jam praesentes in carmina linq̄uere Musas.
34 Sed vos, o nemora, o colles, non sponte relict̄i !
35 Deserui tamen, et comites fugere Camenae,
36 gaudia fugistis simul, et fugistis amores.
37 Ah ! quoties tua respiciens de montibus altis
38 Belleuraea domus, fastigia : "Non ego, dixi,
39 non ego vos istis posthac de montibus arces
40 aspiciam ; colles itetumque, iterumque valet̄e :
41 et male discedens per mille obliqua viarum,
42 ingentes vana solabar imagine curas.
43 Quis mihi tum sensus misero ? Vos conscia testor,
44 quae Sangermanos habitatis numina saltus,
45 et vos Sequanico ludentes litore Nymphae.
46 Illa tamen quaecumque, levis jactura fuisset,
47 ni Belleuriadae me maxima cura teneret.
48 Illius et vultus, et dulcia verba redibant,
49 haec animo, puris quae sedulus auribus haus̄i.
50 Et mihi dein faustos ausim promittere Soles
51 demens ! Non habitat terris praesentior alter
52 Santolio Deus, ille meos, auditque, legitque,
53 quos bonus inspirat manifesto numine versus.
54 Illi carus eram, et quamvis nil tale merebar,
55 me tamen audebat summ̄is aequate poetis.
56 Hinc mea per silvas cantabant carmina Nymphae ;
57 vatem pastores, dicebant flumina vatem,
58 me quoque Pierides ; nec tam tua, docte Rapine,
59 magna Bavillaeos resonabat fama per agros.
60 Trislia quid me igitur renuentem jussa reposcunt ?
61 Hoc me intempesta nuper sub nocte monebat
62 infelix bubo, memini, dum luctor iniqua
63 fortuna ; pudet ire, diu quo fata vocabant.
64 Quae fuerant hac laeta tenus, vertuntur acerbos
65 in gemitus : saepe immeritum me tempore ab illo
66 insequitur durus sp̄reta ob mandata Palaemon.
67 Debueram ex illo, si mens non vana fuisset,
68 augurio sapere ; at quid non sperare licebat ?
69 Carminibus potui durum qui flectere Ditem,
70 crudeles etiam placare Palaemonis iras
71 sperabam, quanto durus magis ipse Palaemon ?
72 Quin et opem ruris dominus spondebat amicam ;
73 sed me infelicem haud melior fortuna revisit.
74 Nam latitans silva in media male callidus auceps
75 incautas volucres meditor dum fallere visco ;
76 me pennata cohors latitantem vidit in ulmo,
77 vidit et insidias, et me delusit hiantem :
78 vicina iratus tum me ad vivaria vertens,
79 non sic effugient, dixi, mea retia pisces,
80 retia ter jeci praeda prope laetus opima,
81 subdola ter capti ruperunt retia pisces.
82 Quid faciam toties voto deceptus inani ?
83 Omnes subdixi male tutis piscibus undas,
84 et tandem inviti venere ad retia pisces,

85 haud impune tamen ; me nudus scilicet urna
86 increpuit deus ; et nudae sub litore Nymphae.

AD CL. PELETERIUM REGNI ADMINISTRUM IN VILLA SUA RUSTICANTEM.
SANTOLIUS VICTORINUS SE RELICTUM AB EO FUISSE QUERITUR.

P_79 v.1 Lugete, valles, flete, solitudines :
 2 turbate vestris questibus silentia ;
 3 et canere doctae, nata gens silvis, aves,
 4 lamenta, flebilesque voces rumpite ;
 5 tractuque longo consitae vos arbores,
 6 errante fluctu quas rigat praeterfluens,
 7 intrare quando gestit urbem Sequana,
 8 siccis, inertes, frondibus nudos suis
 9 porrigite ramos, et feraces vitibus
10 valete colles, et meo quae non semel
11 cantu sonastis laeta quondam litora,
12 jam destituta amabili solacio,
13 ululate, gemite, flete vos, et plangite :
14 non audietis amplius Santolium.
15 Nostris Camenis qui favebat optimus,
16 jam nunc sinister vix meas nugas amat
17 rei minister Gallicae Pelterius.
18 Hic ille positus dum vacat negotiis,
19 suique ruris blanda captans otia
20 legit poetas : me legebat, et meos
21 ad astra versus efferebat approbans ;
22 praefectus urbi litteris quos aureis
23 sculpsit legendos, urbis in magum decus.
24 Mihi inde nomen. Nam Latini carminis
25 vim sentit, interdum scit etiam et scribere.
26 Si rusticatur, rusticantur et simul
27 comites Camenae. Quas amavit vel puer,
28 et juvenis artes, vir, senex non deseret.
29 Unde ergo mentis tam subita mutatio ?
30 Rolline, gentis ample litterariae
31 dominator, aditus nempe solus occupas ;
32 solus latine scribis, et solus sapis,
33 placere scriptis non tibi foret satis,
34 si non placeres candidis et moribus ;
35 utrumque paucis dii dedere vatibus.
36 Vetus poeta, danda si dictis fides,
37 enervis, et iners desipit Santolius.
38 Lyram ille senior tractat imbelli manu,
39 inflare nec par pulmo jam valet tubam.
40 Hoc est olorum, triste quos senium premit,
41 fato sub ipso dulcius ut illi canant.
42 Senibus poetis non idem illud contigit
43 hebescit animus, dum ligatus frigore
44 sanguis furorem mentis insane tulit ;
45 si docta scripsi, doctus haec scripsit furor.
46 Ita est, amice, fuimus, et meae miser
47 famae superstes vivo : pars melior mei
48 interiit animus, factus ipse fabula.
49 Severa leges, transgredi quas non licet,
50 natura fixit, tempus est rebus suum.
51 Non semper annus floret, et gelu potens

52 hiems sub altis nivibus aestatem ligat.
 53 Non se reperit, et horret, et sese stupet
 54 hirsuta tellus, laeta vernis solibus
 55 quae flore nuper se coronabat suo.
 56 Tibi relinquo, dedecet me jam senem,
 57 Apollinarem, qua superbis, lauream.
 58 Fretus juvena, montis advolans jugum,
 59 quas non poetis arbiter leges dabis ?
 60 Quis plectra ? Quis tubam, et chelym vellet manu ?
 61 Rolline, gentis ample litterariae
 62 dominator, imple justius meas vices.
 63 Me depulisti. Fruere. Num vacat mihi
 64 locus secundo ? Non. Prohibet Hersannius.
 65 Lugete valles, flete solitudines.

AD CAROLUM COLLINUM, ACADEMIAE PARISIENSIS AMPLISSIMUM RECTOREM.
 APPENDIX AD PRAECEDENTEM QUERIMONIAM.

P_80 v.1 Quod, Rolline, tibi concessos nuper honores
 2 aemulus invideam, tollis ad astra caput.
 3 Hanc, ego crediderim, tua fecit maxima virtus
 4 invidiam, meritis nascitur illa tuis.
 5 Tu mihi, quam melius, dum Regum e sanguine Princeps
 6 Condaeus pluris me facit, invideas.

DE VIRI ACADEMICI ET HUMANISSIMI APUD S. VICTOREM SECESSU,
 ET DE ILLIUS NON ITA LIBERO ADITU.

P_81 v.1 Dum fabulantur, multa de me garriunt
 2 jocando, amici, nempe me injuste queri
 3 hominis politi qui caream frequentia ;
 4 quippe ille nuper, dum saluti consulit
 5 vitae beatae cupidus, aeternis sua
 6 longe ante fata possit ut bonis frui,
 7 secessit intra saepta tranquillae domus,
 8 ibi liber animus res caducas deserens
 9 sibi que totus et Deo totus vacet.
 10 Validis sodales his fere rationibus
 11 me conquerentem de viro tali, improbant.
 12 Majora et addunt, ut querelae sit modus,
 13 aures quietas nam fatigo, nec domus
 14 resonare cessat frivolis sermonibus ;
 15 et sic perurgent ; "Quisque pro arbitrio, sua
 16 et lege vivit, quisque juris est sui,
 17 non ille vivit, qui sibi non vixerit.
 18 Quin et profunda nocte qui latet Deus,
 19 se retegat omnis alta per silentia.
 20 Torrens, inundet quae beatos Gloria
 21 tacitus, revolvit ; munus hoc paucis datum est,
 22 silente strepitu, mentis in sacrario
 23 aeterna quae stant cogitare, et quae brevis
 24 mox hora rapiet vana terris gaudia.
 25 Illo beatus ergo vivat munere
 26 hic noster hospes, quo superbit hospite
 27 augusta semper, sacra Victori domus."

28 Ego sic amicis multa me increpantibus,
 29 paucis rependo. Desinam numquam queri
 30 hominis politi quod caream frequentia.
 31 Ille, ille praesens, ceu mihi Sol proximus
 32 se nube velat, ille qui solus meas
 33 fugare tenebras poterat, et quod pejus est,
 34 queri negatur, damnor ; et vivo miser ?

IN PAMPHILIONEM, JOCOSA POETAE INDIGNATIO.

P_82 v.1 Ter binis invectus equis, qui nuper in Urbem,
 2 ibat ovans, magna peditum comitaute caterva,
 3 pendulus e ligno, et cursu succussus equorum
 4 ecce trahebatur rhedae post terga, Poeta.
 5 Dum saeviret hiems, Boreae intractabilis aura
 6 et fureret, simul et ruerent de nubibus imbres.
 7 Qua regeret gressus per mille obliqua viarum,
 8 infelix, anceps et ad haec extrema redactus,
 9 effusis qui tunc ibat sine more quadrigis,
 10 arripuit currum, nox atra obstabat eunti.
 11 Hac hora quam dura fuit fortuna Poetae !
 12 Cui Musae applaudunt omnes, qui tollit ad astra
 13 emeritum caput, insulsae fit fabula turbae,
 14 dum qui "Tellerio" se natum e sanguine jactat,
 15 "ore niger, sermone dicax, vultuque sinister"
 16 totus Pamphilio curru interiore sedebat.
 17 Sic Musae opprobriis nostros pensatis honores ?
 18 Hujus ad aspectum sceleris sibi conscia Luna
 19 occuluit rutilos atra caligine vultus ;
 20 nec tulit hoc facinus, sortem indignatus iniquam,
 21 alipedem tunc solvit equum, et servavit Apollo
 22 irrisum, turpique luto foedum ora Poetam ;
 23 mox in Ballioli vicina palatia duxit.
 24 Musae aderant, certatim omnes succurrere vati,
 25 hunc largo recreare foco, et siccare madentem,
 26 suppeditantque dapes, generosaque vina ministrant.
 27 Ut primum amissae rediere in viscera vires,
 28 et cartam et calamum subito petit ; ira poetam
 29 fecerat ; exhibant mordacia carmina vena.
 30 Argumentum ingens, et nostri fabula ludi,
 31 Pamphilio, fuis ridebat Apollo cachinnis,
 32 ridebant Musae, et Nymphae risere sub undis,
 33 Sequanides Nymphae, et risu omnis ripa sonabat,
 34 Pamphilio deinceps tota cantabitur urbe.
 35 Talia scribenti saepe imploratus Apollo
 36 astitit arridens : "Nescis, vatum optime, dixit,
 37 egregios qualis maneat fortuna poetas ?
 38 Num Superis placuisse sat est ? Ea maxima merces :
 39 vulgares animae vulgari laude fruuntur ;
 40 quid quereris ? Dum sceptrum tenes, atque arbiter alto,
 41 imperitas solio, et doctis das jura Poetis."
 42 Haec fatus se proripuit ; simul omnis abivit
 43 ex animo dolor, et menti rediere serena.

AD FERDINANDUM EP. PADERBORNENSEM,
 MONASTERIENSEM COADJUTOREM, BARONEM FURSTEMBERG.
 CONQUERITUR POETA INDONATUS.

P_83 v.1 Mirabar nuper cur sic mihi Pegasis unda,
 2 rauca sonans, trepidis obstrepuisse aquis.
 3 Cur ita me laevus, quondam mihi dexter, Apollo
 4 aspiceret, solitam nec mihi ferret opem.
 5 Jamque indignabar, sacrumque relinquere fontem
 6 mens erat, et docti numina laeva chori :
 7 cum dudum ancipiti sese Deus obtulit, aegro
 8 nescio quid solito tristius ore gerens :
 9 "Ni Fernandus amet tua carmina, rumpimus, inquis,
 10 juratae tecum foedus amicitiae."
 11 Obstupui, neque enim praesagia vana monebant,
 12 mox patuit tanti causa resecta mali.
 13 Praeteritus, Fernande, tibi, tua dona referrent
 14 dum reliqui vates, ah ! Miser ipse fui.
 15 Me vatum e numero, quos Gallia jactat alumnos,
 16 scilicet excludis, meque silere jubes.
 17 Hinc virides subito vidi marcescere lauros.
 18 Et cadere invita plectra, tubamque manu.
 19 Ipsa ignorabat me Fama, nec amplius illos,
 20 quos celebres reddis, fas mihi adire Viros.
 21 Nam quis ego ! Dum per te omnis stat gloria Pindi,
 22 omnis ab auspiciis fama petenda tuis.
 23 "Ah ! quantus, dixi, pudor est te Principe temni,
 24 quantaque Principibus laus placuisse viris !
 25 Non hoc Pierides, non hoc spondebat Apollo,
 26 dum sacri exsupero Montis anhelus iter.
 27 Me vos, o faciles me decepistis amici,
 28 non is ego vates, quem cecinistis, eram.
 29 Si non me Amisius, si non me Luppia norit,
 30 Luppia laude tua dives, et Amisius.
 31 Frustra me tota resonabit Sequana ripa ;
 32 frustra me extulerit laudibus Aula suis.
 33 An mea respiciet civilis carmina Praetor,
 34 si nos de solio despicias usque tuo ?
 35 Inscripti dominam titulis majoribus Urbem :
 36 o cives titulos jam lacerate meos.
 37 Si mihi, Belleuri, nostrum decus unde, favorem
 38 carminibus potui conciliare meis.
 39 Ille mei fuerit melior pars nominis, ille,
 40 me cumulans donis mentem, animumque dedit.
 41 Nunc obscurus ego, vilis sine nomine vates.
 42 Monstror, Apollinei fabula facta chori.
 43 Quis tum sensus erat ! Testes vidistis amici,
 44 testis Pererius vidit, et indoluit.
 45 Ille tuam solido ex auro monstrabat in aurea
 46 pixide, quam dederas vatibus, effigiem.
 47 Felix ille, tuas potuit qui cantibus aures
 48 demulcere, at me non ita Phoebus amat.
 49 Observabam avidus tua stemmata, et ordine longo
 50 insignes armis, et pietate viros.
 51 Fulgentesque auro, capitis sacra tegmina, mitras,
 52 terribiles galeas, quadrifidasque cruces.
 53 Mirabar frontem excelsam, mirabar et ora,
 54 spirabat toto nobilis ore decor.

55 Tum male subridens alto sub corde premebam,
 56 ilia quae Codri ruperat, invidiam.
 57 Me miserum ! Cui non licuit persolvere carmen,
 58 quod mea mittendum scripserat ante manus.
 59 Namque laborato stabas mihi totus in auro,
 60 ambibat geminum Pallas utrimque laterus.
 61 Seu lituo accinctus, seu plectro insignis eburno,
 62 Maeonios aequas, Pindaricosque modos.
 63 Et solio sublimis, et alta in luce coruscans,
 64 gaudebas doctis dicere jura choris.
 65 In te oculos conversa, in te simul ora tenebat
 66 laetior aspectu docta caterva tuo.
 67 Tot titulos inter, praeclaraque nomina famae,
 68 non ignota tibi Musa Latina placet.
 69 Quippe tuum frangunt dum multa negotia pectus,
 70 nos legis interdum, nosque legendo probas.
 71 Dumque tuis fera bella tonans Mars imminet arvis :
 72 tu placida dulces excipis aure modos.
 73 Ecquis erit vatium posthac qui temnat honores,
 74 Quos tu carminibus, muneribusque foves
 75 Illi haud immemores spargent tua scripta per orbem,
 76 certatimque tuum nomen in astra ferent.
 77 Ipse ego non humili, Princeps, te carmine dicam,
 78 et nullus cantu me fuperabit olor.
 79 Et quamquam haud valeam laudes aequare canendo
 80 implebo partes attamen ipse meas.
 81 Dumque alii vates pro te majora parabunt,
 82 respice me, et te vel Principe digna canam.

AD ANT. VERJUSIUM, S.J. POETIS

AD SCRIBENDA CARMINA TEMPUS NON ESSE PRAESCRIBENDUM.

P_84 v.1 Desiste tandem me querimoniis
 2 urgere duris, optime Verjusi,
 3 plenum Deo, haud vilem poetam,
 4 parce tuis onerare probris.
 5 Non ludus ille est, scribere carmina,
 6 et digna tanto carmina Principe.
 7 Nescis ! paramus Ferdinando,
 8 perpetuis monumenta saeculis.
 9 Nugas sonantes, splendida somnia,
 10 adblandientes auribus et modos,
 11 cedamus insulsis poetis
 12 quos recreat sine mente carmen.
 13 At nos severi docta laboribus
 14 cudenda longis carmina scribimus.
 15 Redduntur incudi impolita,
 16 atque novis recoquenda flammis.
 17 Nos ludis, iras fingis amabiles,
 18 dic, te quot annos vidimus anxium,
 19 et te retractantem obstinatis
 20 pura adeo tua scripta curis.
 21 Celso ire Olympo non alia datur
 22 via, quid urges ? Ibimus improbos,
 23 quo fama portat, per labores
 24 quo sibi fecit iter, potenti
 25 qui sacra vatium sceptrum tenet manu

26 lyraeque princeps, Romulei arbiter
 27 auctorque sermonis, latinis
 28 omne venit decus unde Musis.
 29 "Quae nata parvo tempore, Verjusi,
 30 cadunt eodem", par manet exitus
 31 viles Poetas, nox sub altis
 32 longa premit tenebris sepultos.
 33 Tot, Ferdinandi sparsa volumina,
 34 jamjam per omnes splendida Gallias,
 35 cudere noctes eruditae,
 36 tot Paderae monumenta magnae.
 37 Turres superbas, alta palatia
 38 non prima vidit, quae posuit dies.
 39 Quam Sequana allabens adorat,
 40 vix Luparam posuere centum,
 41 annique centum, frontibus arduae
 42 illam nec arces, nec Capitolia
 43 aequare contendunt, tropaeum
 44 pacis erit veniens in aevum.
 45 Ne molientem magna supercili
 46 alti poetam coge molestior :
 47 non jussa, nec leges capessit
 48 indocilis mea Musa flecti.
 49 Prudens futuri, cuique dedit suum
 50 natura tempus, vina racemifer
 51 autumnus, et vectigal anni,
 52 dat segetes bona semper aestas.
 53 Non id sacratis vatibus accidit.
 54 Non certa magnis tempora ponimus
 55 coeptis. Supremis nos Apollo
 56 arbitriis regit unus omnes.
 57 Quid est ? Morantem me rapit impetus,
 58 affer sonantem, Melpomene, lyram,
 59 et Ferdinandum mille vates
 60 mille tubis celebrate vatem.
 61 Se quanta tollet glotia Principis !
 62 Pertaesa longi Musa silentii
 63 erumpet, et vulgabit Orbi
 64 alto animo meditata, sacris
 65 caelanda Musis carmina ; posteri
 66 audite, ut artes foverit optimas
 67 Princeps, in omnes dum profudit
 68 munifica nova dona dextra :
 69 ut ille Martis pacifer impias
 70 sedarit iras, sollicitus gregi
 71 pastor ruendo, nunc sub alta
 72 pace bonus, metuendus armis.
 73 Sic olim Idumes corpora fortium
 74 stravit leonum pastor, et aureo
 75 rex ipse vates sic canebat
 76 grande sonans sua facta plectro.

AD L. SOUCANYE CANONICUM REGALIS ECCLESIAE SANCTI QUINTINI
 HYMNOS IN HUIUSCE MARTYRIS HONOREM DUDUM PROMISSOS PROCACITER URGENTEM
 SANTOLIUS VICTORINUS.

2 Crudelesque minas sannis mordacibus addis,
3 canitiem objurgans ? Segnes mihi durius annos,
4 torpentemque gelu, et vena frigente senectam
5 objicis, et canos, juvenis, rugasque seniles
6 vertis in opprobrium, venerandae insignia frontis.
7 Tempore quo totus meditor vulgare per orbem
8 Quintini facta egregia, et renovare triumphos,
9 unde urbi nomen, cujus lustrata cruore
10 dedidicit spurcos mutato nomine ritus :
11 quod neque vi Caesar, quod nec victricibus armis,
12 hoc potuit nova relligio. Noctesque diesque
13 haec me excudentem et recoquentem carmina rides ?
14 Per probra sperasti, per jurgia flectere vatem,
15 demens ; his Musas stimulis urgere morantes.
16 Non hoc, crediderim, Quintini gloria poscat.
17 Si tibi fert animus juvenili ludere versu,
18 jam Phoebi patiens, per me licet, exsere Musam,
19 tenta carmen, ames monstrari, interque sodales
20 aemula scribendi quos gloria carminis urget,
21 nemo velit tecum scripto contendere versu.
22 Ipso ego miranti similis, non labe carentes,
23 et vultu simulato attollam ad sidera versus.
24 Sed non inde rudi veniat fiducia Musae,
25 ne nimium tibi crede, tuas sed consule vires.
26 Et tibi praescriptam timeas transcurrere metam,
27 nec genio permitte tuo sine lege vagari ;
28 injectis petulantem animum rege ductor habenis.
29 Audax ille fuit, qui lene afflantibus auris,
30 qui placido postquam deduxit flumine lembum,
31 velivolas scandens agitata per aequora naves,
32 iratis voluit sese committere ventis.
33 Arduum opus, carmen : nec tu tentaveris ultro.
34 Quod si forte aliquam, quo vates igne calemus,
35 scintillam rapuisti ; haud fas tibi trudere versus
36 continuo, et magnos in proelia poscere vates.
37 Entelli quondam, simul atque memento Daretis.
38 Et sibi confisus nimium, fretusque juvena
39 te moneat Phaeton caelo dejectus ab alto.
40 Sint licet egregiae vires, non astra lacessas,
41 nec superos, tentesque Jovem detrudere Olympo,
42 terrae progenies. Similis te poena manebit.
43 Segnitiem incusas, pigros et Apollinis ignes,
44 invalidumque senem conantem carmina frustra,
45 carmina quae longo Pietas exspectat ab anno.
46 Ebullit mihi sanguis adhuc, mens integra praestat :
47 nec me deseruit calor entheus : o mihi si fas
48 me totum excutere, irarumque effundere habenas.
49 Quae non conjicerem flammato e pectore tela !
50 Te te ego ; sed motam praestat componere mentem.
51 Postera quae laudabit et admirabitur aetas,
52 numquam si nescis, longa intervalla, nec umquam
53 carminibus nocuere morae ; nos multa polimus,
54 multa retractamus ; jubet ipse senescere carmen
55 noster Apollo, licet quamprimum erumpere in auras
56 doctaque festinet citius volitare per ora.
57 Vivite felices, nullo quibus empta labore,
58 scripta placent, nox insomnis quae parturit una.
59 Informes animi fetus, et monstra pudenda.

60 Non ita praecipiti pede currimus ; excubat, omnesque
 61 observat ventos, celsa de puppe magister,
 62 Syrtesque, scopulosque, marique latentia saxa,
 63 ante suas tutus quam mittat in aequora naves.
 64 Sic rerum docet alma parens, quae cuncta ministrat
 65 tempore nata suo Natura : hanc forte morantem
 66 non urgendo premas, fallet tua vota premando.
 67 Poscunt magna moras, longus labor arte magistra
 68 confusas sine delectu res ordine ponit.
 69 Dum calet igne animus, sibi plaudit et approbat auctor
 70 prolis amore suae, quod crudum e pectore fudit,
 71 error et ipse placet, qui sese detegit ultro,
 72 occurritque sibi, se quando remiserit aestus.
 73 Quisquis amat magnum et quaerit per carmina nomen,
 74 hunc moneo imprimis, iterumque iterumque monebo,
 75 exuerit patrium fetus nascentis amorem,
 76 ad tempus mentemque alio traducat, ut ipse
 77 non jam operis pater in se omnes exerceat iras,
 78 et durus censor, castigatque severus.
 79 Omnia tuta timet, nescit sibi parcere vates,
 80 dum legit et relegit, vitium piat omne legendo,
 81 quae dubia sub nocte latent, et egentia luce,
 82 dat lucem, et velis dat noscere vera remotis,
 83 amputat et delet minus apta, et consulit aures,
 84 luxuriamque minutatim depascit inanem.
 85 Atque novos operi delendo adjungit honores,
 86 nec cessat, donec purgata labe nitescat
 87 carmen, venturis opus admirabile saeculis.
 88 Haec nescisse, volo, tua sit pro crimine poena :
 89 et tibi non aliam et miseris scriptoribus opto.
 90 Haec mihi difficiles dictabant carmina Musae,
 91 et fic effatum me deseruere Poetam.

DIVAE HUNEGUNDIS QUERIMONIA,
 QUOD ABBAS CLARISSIMUS HYMNOS, QUOS IN ILLIUS HONOREM CONSCRIBENDOS
 A POETA IMPETRAVERAT, MUTATA MENTE NEGLEXERIT.

P_86 v.1 Ludimur, et Superi vanum jam numen habemus,
 2 sanctus honos templorum, et non indebita nostris
 3 numinibus rapitur divini gloria cultus.
 4 Sic me, Annaee, petis quondam meus ! Heu tua nuper
 5 quo pietas, quo cura mei tibi cessit honoris ?
 6 Nam memini, ut nostro reparasti e divite fundo
 7 diruta templa, tuis jam nunc splendentia donis.
 8 Cur modo, quae duce te scripsit mihi carmina vates,
 9 nunc durus laceras, et me ludisque poetam ?
 10 Dic, venit unde tuae subita inconstantia menti,
 11 quisve dolor justos excussit pectore sensus ?
 12 Scilicet hoc tanti pretium est, mercesque laboris ?
 13 Impius ille fuit, Divae nil tale merenti
 14 qui mihi legitimum et templis invidit honorem.
 15 Rustica gens, nosti, festo redeunte quotannis
 16 ut de more mihi supplex ferat annua liba,
 17 anni primitias, et agrestis munera gazae,
 18 his memorem testata animum, templumque coronet
 19 floribus, et postes, decoretque altaria sertis.
 20 Quin per me servata seges, tumidaque racemus

21 pelle rubens, nostris de munere pendeat aris.
22 Tu longe melius mihi consulis ; hactenus hymnos
23 quos et Barbaries, et mendax cuderat Error,
24 Romanae linguae opprobrium, turpesque prioris
25 aevi relliquias, vanae deliria mentis,
26 hos ego diva sonos animo indignante ferebam.
27 Dicam equidem, (pectus jamdudum ea cura remorde,)
28 dum peragit mea festa, et vulgus templa frequenrat,
29 castam incompositis violabat cantibus aurem.
30 Puros pura decent ; stolidae non laudis egemus
31 quos Veri jam pascit amor ; ridemus ab alto
32 splendida quae nobis scribunt mendacia vates.
33 Tu celebrare meas meliori carmine laudes
34 aggressus, vatem multis e millibus unum,
35 afflatum propiore Deo, et divina sonantem
36 scilicet imploras supplex ; ceu numine tactus
37 ille tuis victus precibus mea vota secundans,
38 sacrum, augustum, ingens meditatur pectore carmen ;
39 et mea saepe legens, relegensque ingentia facta,
40 facta, quibus virgo jam diva adscribor Olympo,
41 mollibus includit numeris, quos deinde sonabat
42 explorans, ne quid cantando offenderet aurem ;
43 cuncta retractabat durus sibi censor, et asper
44 debebat minus apta, novosque addebat honores,
45 castigans rigido, quae sunt male nata, labore.
46 Ac velut e ligno statuam qui extundere acerno
47 cogitat arte opifex, sacrata in sede locandam.
48 Exutum nondum foliis, et cortice duro
49 informem primo videas sine nomine truncum.
50 Accedat manus artificis ; fabrile, quod intus
51 delituit, se prodit opus, nova surgit imago,
52 apparet nova forma : sacris jam digna videtur,
53 atque aras ambit : si frangitur, atria longa
54 maerebunt, tristes et vos maerebitis arae.
55 Sic rude carmen erat, verum noctesque diesque,
56 extremus labor, atque severi industria vatis
57 addit multa operi : quam me hoc praecone beatam
58 dixi ! Aderam praesens, quando mihi scriberet hymnos,
59 ducebamque manum, magnamque in carmina mentem
60 afflabam, inspirans meliora, mihi que, sibi que
61 plaudebat scibens, et me tollebat ad astra.
62 A ! quoties superis e sedibus obvia virgo
63 descendi, nostrarum accensa cupidine laudum.
64 Cultus erat vates ; culto sermone canebat
65 includens puro puros in carmine sensus.
66 Invideant Superi, si quae tamen astra tenentes
67 invidia exstimulat ; jam non ingloria terris,
68 nec jam vilis eram, nuper vix cognita pago,
69 diva incedebam propriis decorata triumphis.
70 Nec mihi certaret projectis Magdala baccis,
71 nec Catharis virgo, positoque Pelagia fastu,
72 florigera et nostri Dorotheia semper amores.
73 Magnus vatis honos, mihi magnum addebat honorem.
74 Quae tibi pro tali promisi munera dono
75 non ingrata ? Meis, ut honos et gloria templis
76 accessit duce te, sic et tibi gloria per me
77 accedet, tibi divitias, tibi sacra recludam
78 flumina, caelestes gazas, caelestia dona

79 desuper infundam, pulchrum virtutis amorem ;
 80 candida non nigris succendent pectora taedis
 81 Tartareae pestes, non famae dira cupido,
 82 non luxus, non ambitio, mollisque voluptas,
 83 non ventris rabidi ingluvies, nec avarus habendi
 84 te cruciabit amor, sed te sanctissima ducet
 85 relligio, primis custos tua semper ab annis ;
 86 hae tuae erunt comites, Pietas, Virtusque, Fidesque,
 87 aurea Simplicitas, operosi nescia fastus,
 88 et bona Pax animi, et purae bona Gaudia mentis.
 89 Non addam, quantae tua rumpent horrea messes
 90 quanta tuo ruri ubertas, quae copia frugum ;
 91 diversas tot opes mirabitur ipse colonus :
 92 luxuriabit ager, bis fructibus utilis arbor,
 93 bis gravidae matres agnorum, et fenore multo,
 94 partu uno geminam mater dabit unica prolem,
 95 nulla pecus laedent contagia, nulla nocebunt
 96 frigora, nec rabiem metuent armenta luporum ;
 97 non deerit nova semper et herba salubrior agnis.
 98 Horrida maturas grando ne rumpat aristas,
 99 per medias volitans huc illuc Diva procellas
 100 disjiciam ventos, et fetas fulmina nubes,
 101 suspendamque inimicum imbrem, pluvialiaque astra
 102 arcebo procul, et Soles revocabo serenos ;
 103 quod si bella fremant, bella exsecrata colonis,
 104 ipsa adero, et densae latitans sub nubis amictu
 105 bellatrix, tanto in discrimine, funera mille,
 106 spargam mille neces ; Pavor irruet, effera castra
 107 ignota percussa manu se montibus abdent,
 108 se silvis, sese et specubus vix tuta profundis.
 109 Me pugnante, simul trux arma ferocia ponet
 110 miles, et ipse suos dediscet praedo furores.
 111 Haec tibi dona ampla et longe majora parabam :
 112 cum te paenituit, lususque erroribus illum
 113 jam non ferre potes, quondam tua gaudia, vatem,
 114 crudelis ! Laceras hymnos, sacra carmina rumpis,
 115 non violanda tamen, quae me inspirante canebat,
 116 teque probante ; ardor sese tuus unde remisit ?
 117 Hymnis pro teneris, pro dulcisono modulatu,
 118 en nostrae aeternis plangent ululatibus aedes.
 119 Quis posthac supplex Hunegundis numen adoret ?

D. MAGLORII QUERIMONIA.

QUOD FURCAEUS INSIGNIS CEREMONIARUM MAGISTER ET MAGLORIENSIS INCOLA,
 IN HUIUS PRAESULIS HONOREM, HYMNOS CANTANDOS RECUSAVERIT.

P_87 v.1 Sic habitas mea templa, et templis demis honores,
 2 alme senex, illis etiam mea festa diebus
 3 dum certatim agitant media inter gaudia cives ?
 4 Nostra laborato decoras inclusa sub auro
 5 floribus ossa, sacros et circum incendis odores ;
 6 dic mihi, promeritis cur laudibus invidus obstas ?
 7 Dicam equidem, haec caelo me mordet cura beatum.
 8 Quos mihi Santolius plectro resonante canebat
 9 afflatus monitis caelestibus, eripis hymnos,
 10 crudelis ! Quo cessit honos, quo gloria nostri
 11 nominis ? An speras impune lacescere Divos ?

12 Pontificum ritus, et jura antiqua tueri,
13 sacrorumque rudes scis informare ministros,
14 atque incompositas modulari, et flectere voces
15 certos ad numeros ; concessum hoc munus ab alto
16 crediderim, neque te praestantior exiit umquam
17 imperitare choris, et corda accendere cantu.
18 Ungendi si Pontifices, si sacra paranda,
19 promptus ades, numero e magno tu posceris unus ;
20 ad tua suspensi stant circum jussa Ministri,
21 quo tu cumque vocas dociles, nutumque sequuntur.
22 Vidimus ut templis, dum rite operaris ad aras,
23 ad caelum attollens oculos ; manibusque supinis,
24 in terras totum cogis descendere Olympum.
25 Cantoris si munus obis, quae gratia vocis !
26 Quam gravis incessus ! Qua majestate Sacerdos
27 longe omnes supra, in mediis penetralibus adstans,
28 aurea veste nites, stratamque tapetibus amplis
29 quam bene verris humum ! Media inter sacra putarim
30 te sentire Deum, praesensque agnoscere numen.
31 In te omnes defixi oculos mirantur, et haerent
32 attoniti, tanta est placidi reverentia vultus !
33 Non ignarus ego, et semper meminisse juvabit,
34 qua pietate meos cineres atque ossa per urbem
35 subjectis portes humeris, venerabile pondus,
36 sum Genovefa suis e sedibus evocat omnes,
37 et jubet ire sacras ad matris Virginis aedes.
38 addere plura vetat violati injuria cultus.
39 Scilicet hoc fumo, gemina quem fundis acerra,
40 aetherei proceres nos pascimur : improbe cultum
41 quid simulas, gaudesque meis me illudere templis ?
42 Non secus ac ludo pueri clamore salutant,
43 quem legere duces ; stant omnes corpora proni,
44 et mandata obeunt, et Regem sponte subacti
45 non cessant vocitare ; brevi Rex ille jocantum
46 fabula, detrusus simulata expellitur aula.
47 Num cantus juvat ille, sibi quem vindicat omnis
48 caelicola, et doctis semper gravis auribus hymnus ?
49 Ignoscenda quidem rudioribus horrida saeculis
50 Barbaries fuit ; at postquam gens pinguis avorum
51 secessit procul, incultis gens aspera Misis,
52 credideram simul ignotas abiisse sub oras,
53 et cessasse loco foedam squallore, situque,
54 barbariem, et miseros sese quibus illa tuetur,
55 auctores operum, Romanae opprobria linguae.
56 Sic ego legitimos sperabam posse renasci,
57 qui duri exciderant vitio sermonis, honores.
58 Hanc spem animo dederat novus hospes, et ora disertus,
59 hospes, purpurei proles generosa Berulli,
60 aurea gens, ipsi Superum acceptissima Regi,
61 votorum leges quam nullae, et vincla coercent,
62 sed pietatis amor regit, et pars optima nostri
63 relligio, ratioque comes, non indiga freni.
64 Illa quidem humanos ut se componat ad usus,
65 non habitu bicolor, torta non cannabe cincta,
66 non pedibus male nuda, gravi non horrida sacco,
67 nec gestans patulo promissam in pectore barbam,
68 unde sapit niger Ordo, et Franciscana Senectus.
69 Sic ego, (nam superis etiam sua gloria cordi est)

70 credulus heu ! Nimium, gratoque errore beatus.
 71 Istam si fugiens pauper Medericus in Urbem,
 72 antro ubi delituit, turritae praesidet aedi,
 73 et cultis si laudis amans se jactat in hymnis
 74 sceptrorum contemptor Iodocus ; unde negatur
 75 gloria justa mihi, magno qui numine plenus
 76 rexi urbes praesul, mitraque pedoque superbus ?
 77 Exoriare mihi, tumuloque resurge, Senalde,
 78 si sermonis adhuc teneat te cura politi.
 79 Ecce redit nostris vetus ignorantia templis ;
 80 hujus namque loci procul hanc praefectus abegit.
 81 Illi carus eram, mihi carus et elle vicissum,
 82 dum licuit, nostris summum decus addidit aris ;
 83 quin etiam addiderat dulces mihi providus Hymnos,
 84 omnibus e libris quos barbarus expunxisti :
 85 et causam morbi ulterius temerarie quaeris ?
 86 Ultiores timeas Superos, abrumpere vitam
 87 mens erat, inque tuo Mors limine fixa, suprema
 88 jussa exspectabat, suspensio funeris ictu
 89 fata retardavi, licet indignantibus annis.
 90 Ni sapias : istis quamprimum transfuga tectis,
 91 antiquas sedes, et templa relicta revisam.

AD POETAM VICTORINUM EXPOSTULATIO. (ab alio auctore)

P_88 v.1 Huc huc, Santoli, sacros abrumpe labores,
 2 indignata iterum te nunc Sorbona reposit
 3 ultorem, venias strictis armatus iambis,
 4 queis cecidit nuper, toto lugente Lycaeo,
 5 maximus ille gigas. Celer arma, ah protinus arma
 6 expedias, novus hostis adest ; tibi multa supellex
 7 telorum, tibi mille equites, peditesque Figurae
 8 quo tu cumque vocas, dociles, exercitus ingens
 9 verborum, pro re varia, doctisque duellis
 10 stat semper nutum exspectans, jamjamque paratus
 11 irruere, et notum concurrere promptus in hostem.
 12 Stant vocum galeatae acies, fortesque manipuli,
 13 terribilesque sonis portant qui funera versus,
 14 Tartareis versus fabricati incudibus omnes.
 15 Heu ! Quantae strages, jungas si adverbium verbis !
 16 "Hic calamum jussus posui ; risisset Apollo."

AD PARNYMPHUM, INTEMPESTIVE LAUDANTEM, RESPONSIO.

P_89 v.1 Quid roseas laudare genas, frontemque venustam
 2 convenit ? An me sic laudas, et ludis amice ?
 3 Frigida laus fuerit, teneris magis apta puellis,
 4 doctores nos ruga decet, frontisque severae
 5 dura supercilia, et spirantes grandia vultus.
 6 Plus horrenda placet, quam quae fucata colore
 7 effigies, sua nam senibus veneranda Vetustas.
 8 Nec mihi femineos tu semivir objice vultus :
 9 non adeo pulcher, placido me in litore vidi,
 10 vidi jam rugas contracta in fronte seniles,
 11 plaudebamque nihil, deformis et esse volebam,
 12 ut fierem Doctor ; tandem accedentibus annis

13 oris blanditias delebit tempus, at imo
14 delebit numquam vivos sub pectore vultus.

AD URBANUM PRAETOREM, ET AEDILES,
QUOD HOSTES DE NOSTRA REI FRUMENTARIAE PENURIA NIMIS SIBI GRATULANTUR.
ANNO M. DCXCIV.

P_90 v.1 Plaudebat ferus hostis, et irreparabile damnum,
2 quod toties bello, et dudum infelicibus armis
3 expertus, jam tum solari coeperat, ex quo
4 credidit in Gallos saevam indignantibus astris
5 incubuisse Famem : Batavas impune per urbes
6 aere cavo increpitans solito jactantior ibat,
7 et vulgabat, uti rerum in discrimine tanto,
8 gentem invictam armis, et dantem jura per omnes
9 Europae populos, laetis non fidere rebus
10 amplius. Hic fixam rapidis metam esse triumphis.
11 His superaddebat, vindicta atrocior, ipsam
12 infensam Cererem, steriles horrescere campos,
13 mutatasque vices Naturae, elementaque ruptis
14 legibus ire retro ; lapsa omnia, vindice caelo
15 in pejus ruere. Haec, et talia, perfidus hostis.
16 Saepe objectabat. Francis qui praesidet oris
17 audiit haec Genius : paucis sic ille rependit.
18 Quid fractus bello, patriisque e finibus exsul
19 tristis, inops, profugusque, et longi fabula belli,
20 tot clades inter, passus tot damna superbis ?
21 Dic, venit unde tibi jactantia, pessimus augur,
22 et Divum interpretes ? Steriles cur objicis agros ?
23 An nescis, vestros nobis pinguescere campos,
24 mille cadaveribus, quae nuper stravimus armis ?
25 Eversasque arces, excelsaque moenia nudo
26 nunc aequata solo, et Francis mansuescere aratris
27 indociles terras, et cultus discere nostros ?
28 "Hinc speranda seges", vestroque rigata cruore.
29 Tot domitae gentes haec vectigalia debent.
30 Sic segetes vidit subversa crescere Troja
31 alma Ceres, stupuitque hostili sanguine natas.
32 Quae palmas metere, et potuit sibi quaerere lauros,
33 Ipsa leget frumenta manus. Velocior aestas,
34 bisque Ceres anno potius floreret in uno,
35 urgeretque suas alieno tempore fruges,
36 usque adeo nostris gaudet servire triumphis.
37 Quamquam o ! sufficiat quae jam omnia carbasa pandit,
38 nostra Ratis. Viden' ? ut puppi vigil excubet alta
39 explorans auras omnes, et littora, Rector,
40 providus ut facilem annonam, victumque ministret ;
41 quae toties rediit spoliis Orientis onusta,
42 vexit et hostiles ad Gallica litora gazas,
43 navibus in duro nuper certamine captis,
44 arborum exuviis rursus gravis illa redibit.
45 Ne, cives, trepidate, 'Feracior omnibus arvis.'

DE PENURIA REI FRUMENTARIAE SIBI FALSO GRATULENTUR HOSTES.

P_91 v.1 Non adeo caelum nobis irascitur, aequis

2 nos oculis Deus aspexit ; si Terra negavit
 3 fecundas segetes, nec vectigalia solvit
 4 annus tam sterilis ; non inde superbiat hostis
 5 laetior e damno ; falces cuduntur in enses,
 6 et metimus palmas ; et sunt 'Pro Messe Triumphi'.
 7 Hinc garrire hosti liceat, sed vincere nobis.
 8 Si fastus nondum posuit, nec plaudere cesset
 9 qui toties bello domitus ; dedivite terra,
 10 cogitet 'armatam segetem' venisse jubentis,
 11 ad vocem Cadmi, vestrae nosco omina sortis,
 12 o ! conjuratis necquicquam viribus hostes.

CLAUDIO PELETERIO PRAETORI URBANO, ET AEDILIBUS, LUTETIA NOVA.

P_92 v.1 Artificis novus ille labor, qui dissita longe
 2 vastae urbis spatia, et longa intervalla locorum,
 3 ambages varias, flexus mille, atque reflexus,
 4 mille vias, simul intuitu dat cernere in uno.
 5 Dic quibus egregias studiis edisceris artes,
 6 insignis Bullete, tibi quod numen amicum,
 7 ignorata prius praeclara arcana retexit ?
 8 Jam dabitur mundi certos cognoscere fines,
 9 silvarum anfractus dubios, nemorumque recessusque,
 10 Oceanique sinus refugos, atque alta profunda,
 11 fas erit, et totum metiri denique caelum,
 12 quandoquidem caecis sinuosam anfractibus Urbem
 13 in parva potuisti oculis exponere charta.
 14 Hinc tibi magna quidem, major sed gloria surgat
 15 cum te, jamdudum ornandae qui praesidet Urbi,
 16 artificum numero e tanto selegerit unum
 17 Praetor, et in partem te sponte vocarit honoris.
 18 Ille novam ex veteri meditans molirier Urbem,
 19 Regifico luxu, remeans quam Caesar ab hoste
 20 invideat, dum celsa subit Capitolia victor,
 21 quaerebat rectorem operum, insignemque magistrum
 22 qui vicos urbisque situs describeret omnes,
 23 et totam in plumbo descriptam exponeret Urbem ;
 24 illius ut posset meditando agnoscere formam,
 25 tutius explorans, ne quid peccaret in artem,
 26 (tectus, si quis inest, melius sibi subvenit error).
 27 Hoc opus urgebat dudum nova gloria Magni,
 28 tot tituli pace insignes, et publica vota,
 29 et plausus populorum, et parti ex hoste triumphi.
 30 Quippe triumphales, quos olli Urbs tota parabat
 31 erigere, oblatos Princeps damnaverat arcus.
 32 Nondum, parque suis respondens gloria fatis
 33 famae avidum pectus cumulaverat : undique laetos
 34 quamvis per populos iret cita Fama per urbes,
 35 quae meritos dudum Victori exposceret arcus.
 36 Praetorem interea victoria laeta premebat,
 37 monstrabat captasque urbes, et diruta castra,
 38 gentes tot domitas, tot fractis cornibus amnes,
 39 dumque nova rerum se totus imagine pascit
 40 admirans, vocat artifices, operumque magistros, .
 41 Quos inter, Bullete, aderas ; stat ponere magni
 42 fundamenta operis grandesque attollere portas,
 43 magnificos arcus, Urbemque ornare triumphis.

44 Consulitur, locus ipse favet, res ipsa secundat,
 45 Bulleto monstrante, aperit sese optima rerum
 46 et forma et facies : consultis omnia quadrant.
 47 Jamdudum exesa Regina Lutetia palla
 48 annorumque situ, et ruga deformis anili,
 49 squallebat socias inter despectior urbes.
 50 At nunc illa novos tandem pulcherrima vultus
 51 induet, et turres arcesque in pulvere ponet,
 52 indignas arces, indignas Principe turres.
 53 Rumpuntur portae antiquae, rumpuntur et arces,
 54 relliquiae putres murorum, avulsaque saxis
 55 saxa jacent, passim adspiceres, veteresque columnas,
 56 subversasque domos, vicos, faucesque viarum
 57 laxari angustas, facta spatia ampla ruina,
 58 tot loca nuda, novis quamprimum ornanda triumphis.
 59 Clade superba sua, non amplius invida Romae
 60 ipsa suas tollet mirata Lutetia turres.
 61 Quin etiam immani patefacta voragine tellus
 62 ultro sese offert, ferro validaque bipenni
 63 hic non fossor eget ; quae marmora dura profundis
 64 condiderat sub visceribus Natura, revelat,
 65 arcubus ornandis mox attollenda sub auras,
 66 quos pacati hostes etiam post bella pavebunt.
 67 Quippe legent tua facta, tuos, Lodoice, triumphos,
 68 undique et inscriptam titulis majoribus urbem,
 69 et positos arcus, et sculpta ubi proelia, cernent
 70 altas, ingentes, sublimi fornice portas.
 71 Plaudite vos, res ipsa jubet, vos plaudite cives,
 72 et vestro praetori, et vestrae aedilibus Urbis :
 73 Urbs coepit caput erigere, et de fronte superba
 74 despiciere obscuras nova nunc Regina sorores :
 75 immensum se promit opus, se moenia tollunt
 76 ante oculos, Urbisque novae nova surgit imago.
 77 Aspicias, ut primo sub lumine, quanta sub auras
 78 erigitur moles ! Quanti miracula fastus :
 79 quantum pacis opus ! Quantum de Marte tropaeum !
 80 Et Tarpeiae arces, et nobile Pallanteum,
 81 perque Palatinos fundata Palatia colles,
 82 nequicquam totoe Tiberi Capitolia certent.
 83 En tibi majores ostentat Sequana fastus,
 84 et majora parat civilis praetor, et alta
 85 grandia mente agitans saeclis monumenta futuris,
 86 amplificare Urbem spatiis molitur, et omnem
 87 pro laeto aspectu faciem exornare domorum.
 88 Ne vaga in immensum certo sine limite crescat,
 89 perpetuis video praecinctam moenibus Urbem.
 90 Nam licet ampla ; suos et amet excurrere in agros,
 91 in se tota redit : circum via laeta quaternis
 92 ulmorum ordinibus passim recreabit euntes.
 93 Hanc urbi, hanc populis, hanc Magno perfice partem
 94 dux operum Praetor ; per te insita frondibus arbos
 95 fors erit accurvans sese, tua tempora cingat,
 96 dum textent alii quernam de more coronam,
 97 dumque viam releges, foliorum murmure prima
 98 blandiri tunc incipiet, ramoque comante
 99 verticibus leviter motis alludet eunti
 100 laeta tuo aspectu. Tantas sed suspice moles ;
 101 quae Magno monumenta locas, tibi construis ipsi

102 imprudens, cumulasque tuos invitus honores.
 103 Et vos sera eadem, quae Magnum concinet aetas,
 104 concinet Aediles ; ne vos desistite coeptis.
 105 Nil vidit par Roma, nihil vidistis Athenae
 106 talia dum penitus lustrant et civis et hospes,
 107 attonitis animis, fixisque obtutibus haerent.
 108 Quin etiam solitos oblitus, Sequana cursus
 109 insolitum miratur, et obstupefactus eundo
 110 mutat se in varios furtivo flumine fontes,
 111 tantus honos, tanta est Parisinae gloria gentis.

ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO CLAUDIO PELETERIO
 URBIS PRAETORI ET REPARATORI.
 ODE.

P_93 v.1 O quis peritam, quis mihi Zeuxidis
 2 doctamve praestet Parrhasii manum ?
 3 Adeste pictores, videnda
 4 Pelterii meditamur ora.
 5 Quem sola virtus et meritum extulit
 6 vectum quadrigis, illius, illius
 7 monstranda seros per nepotes
 8 quam populi studeant, imago.
 9 Hanc mille quernis fraudibus ambient
 10 circum coronae, dignus honoribus
 11 hic ille, magnam qui tot altis
 12 luminibus decoravit urbem.
 13 Sic fertur olim marmoream sibi
 14 struxisse Romam Caesar, et artifex
 15 sic fertur Amphion perennes
 16 cantibus aedificasse muros.
 17 Miratur hospes quae sibi finxerat,
 18 majora longe suspicit, et novas
 19 quin civis arces obstupescit
 20 attonitae novus hospes urbis.
 21 Amni imminentem quis posuit rotam ?
 22 Qua flumen imum jam dociles super
 23 attollat undas, mox in urbem
 24 per varios properet canales.
 25 Declive lapsu, quin etiam suos
 26 amat morando rumpere vortices,
 27 errare per vicos, et urbem
 28 uberibus recreare rivis.
 29 Multa rebellem compede Sequanam
 30 frenavit unus, ne dominas vagus
 31 irrumpat arces, nec feraces
 32 vorticibus populetur agros.
 33 Passim quadrigas liberioribus
 34 dat cive tuto currere compitis ;
 35 non impeditus nunc amabit
 36 per medios pedes ire currus.
 37 Cur ista vanus demoror, en novo
 38 se Roma tollit jam nova Caesari,
 39 majora tolluntur per Urbem
 40 perpetuis monumenta saeculis.
 41 Nunc functe bellis maxime Principum
 42 Urbem revisas, jam tibi Gloria,

43 jam Quaestor urbis mox ovanti
 44 magnificos tibi ponit arcus.
 45 Descripta portis nobilioribus
 46 tot gesta bello, capta tot oppida
 47 victas tot urbes, fulguranti
 48 te galea horribilem stupebis.
 49 Ibit retortis fluctibus impotens
 50 Rhenus, tonantem ad littora Caesarem
 51 rursus pavebit, turbulenta
 52 attonitus latitabit urna.
 53 Per mille fluctus aspicias tuos
 54 spumosa ferro frangere flumina,
 55 equisque sublimes anhelis
 56 fluminibus dare jura victis.
 57 Haec dat metallis, dat tua Pelterus
 58 legenda seris facta nepotibus,
 59 celatque portis quos subacto
 60 hoste refers celeres triumphos.
 61 Totam triumphis sollicitus tuis
 62 inscribit urbem, plaudite posteri,
 63 scribet laborato tot alta,
 64 Maxime Rex, tua facta in auro.

AD EUMDEM PELETERIUM PRAETOREM URBANUM ET AEDILES,
 QUOD NOVA AEDIFICIORUM PUBLICORUM MAGNIFICENTIA, ET AQUARUM INDUTIONIBUS
 URBEM EXORNAVERINT. ANNO M. DCLXXIII.
 ODE.

P_94 v.1 Superba turre, tolle Lutetia,
 2 tectisque nubes ambitiosior
 3 lacesse : jam non invidendos
 4 objiciat tibi Roma colles.
 5 Non ipse vidit tot Tiberis pater
 6 turre, quot arces Sequana, quot domos
 7 miratur aequatas Olympo
 8 attonitae novus hospes urbis.
 9 Hos bellicosi gloria Principis,
 10 qui pacis almae longa per otia
 11 ditavit artes, hos petebat
 12 egregios operum labores.
 13 Sic fertur olim marmoream sibi
 14 struxisse Romam Caesar, et inclitas
 15 narratur Amphion magistris
 16 cantibus aedificasse Thebas.
 17 At quis quadrigas liberioribus
 18 dat cive tuto currere compitis :
 19 quis sumptuosis jam capacem
 20 aedibus amplificavit Urbem ?
 21 Amni imminentem quis posuit rotam,
 22 qua flumen imum jam dociles super
 23 attollat undas, et citato
 24 per varios fugiat canales
 25 declive lapsu ? Quin etiam impetum
 26 amat morando rumpere, nobiles
 27 errare per vicos, et Urbem
 28 uberibus recreare rivis.
 29 Ille et minacem compede Sequanam

30 frenavit audax, ne dominas vagus
 31 irrumpat arces, neu propinquos
 32 vorticibus populetur agros.
 33 O mille quernis tempora cingite
 34 cives coronis : illius, illius,
 35 monstranda per seros nepotes
 36 quam populi stupeant, imago.
 37 Palmis onustus, Maxime Principum,
 38 Urbem revisas, en tibi providus
 39 Praetor triumphanti superbos
 40 pro reditu meditatur arcus.
 41 Descripta portis nobilioribus
 42 tot gesta, bello capta tot oppida,
 43 victas tot urbes, tot subactos
 44 Marte novo populos videbis.
 45 Ferro rigentes aspicias tuos
 46 defensa vallis rumpere flumina,
 47 equisque sublimes anhelis
 48 fluminibus dare jura victis.
 49 Ibit retortis fluctibus impotens
 50 Rhenus, tonantem ad litora Caesarem
 51 rursus pavebit, turbulento
 52 triste fluens et iners in alveo.
 53 Te fulminanti terribilem manu
 54 placabit undis Mosa trementibus,
 55 supplexque Trajecti obstinatas
 56 mox Domino tibi pandet arces.
 57 Te fama scuto scribet in aureo,
 58 et signa, victrix quae manus abstulit,
 59 suspensa monstrabunt sub altis
 60 Relligio, Pietasque templis.
 61 At quos triumphis tollere se tuis
 62 spectabis arcus, non labor artifex,
 63 Non Praetor, Aedilesve ponunt :
 64 hos posuit tibi sola Virtus.

LUTETIA

AETERNIS EXPEDITIONUM BELLICARUM LUDOVICI MAGNI MONUMENTIS EXORNATA,
 REGIAE INSCRIPTIONUM ACADEMIAE.

P_95 v.1 Non ego, non posthac Romae decora alta superbae
 2 invideam ; surgat redivivi Caesaris umbra ;
 3 Lutetia in media, votis concordibus urbis,
 4 hanc statuum, faustis quam ambit Victoria pennis,
 5 victori Iodoico, altae post munera pacis,
 6 erectam aspiciat, fusoque observet in aere
 7 descriptos circum belli, pacisque labores,
 8 quosque triumphales Praetor de more dicavit
 9 marmoreos Arcus, sublimi fornice portas.
 10 Proeliaque in rigido vel adhuc horrentia saxo.
 11 Hic et inaccessis confisas rupibus arces
 12 vix credet potuisse capi ; pluet acta per auras,
 13 attonito volitans postquam insultavit Olympo,
 14 dans stragem late, cum rumpitur ignea moles
 15 ipsi Mulcibero, et Bronti nova machina belli.
 16 Ad nutum jaculantis inevitabile fulmen
 17 jussas mille neces, et certa incendia spargit.

18 Omnia vastantur, tellus rubet omnis, et horret
 19 strata cadaveribus ; fractos radicibus imis
 20 hinc montes reboare, cavaeque tremiscere rupes,
 21 vallesque horrendum ingemere, et trepidare profundis,
 22 dum fera bella tonant, male tutos fluctibus amnes.
 23 Singula perlustrans turbabitur, aspera ferro
 24 rumpere iter, mediasque natantia castra per undas
 25 hostilem horrebit duce Rege invadere ripam.
 26 Tot confusa inter pavitantum murmura aquarum
 27 hactenus indomitum fractis jam cornibus, urnaque
 28 inversa toto indignantem flumine Rhenum
 29 vix adeo agnoscat, se nocte recondet in atra,
 30 ne legat inscriptos Francis victoribus arcus,
 31 Caesareae deinceps aeterna opprobria famae.
 32 Et posthac dubitamus adhuc inscribere lingua
 33 Ausonia, quae Roma suis decorata triumphis
 34 ambiret, si suspiciat, quae civis, et hospes
 35 attonitus leget, et sera admirabitur aetas.

REGIAE NUMISMATUM ET INSCRIPTIONUM ACADEMIAE.

EAM HORTATUR, UT SINGULA LUDOVICI MAGNI GESTA NUMISMATIBUS INSCRIBAT
 QUORUM PRAE ALIIS MONUMENTIS EXCELLENTIAM OSTENDIT
 A FIDE ET DIUTURNITATE.

P_96 v.1 Ergone tot rapiet Lodoici heroica facta
 2 invida vis factorum, et inexorabile Tempus ?
 3 Postera non discet, non admirabitur aetas
 4 quos retulit victor diverso ex hoste triumphos ?
 5 Hoc prohibete, quibus studiumque, et cura tueri
 6 heroum facta egregia, et caelare metallis,
 7 praecones rerum gestarum, operumque Magistri,
 8 quos virtus sibi legit in ultima saecula testes,
 9 ne regnent impune inimica oblivio terris.
 10 Sint alii, qui bella canant, qui scribere certent
 11 ardua coepta, tubas validis pulmonibus inflent ;
 12 non levibus credenda sonis, fragilique papyro
 13 tanti fama Ducis : vos, late qua patet Orbis,
 14 unanimes magnum Lodoici extendite nomen,
 15 argumentum ingens, Lodoicus ; hic excitat artes
 16 muneribus, certatim omnes, ceu foedere facto,
 17 in partem veniunt docti, curamque laboris.
 18 Ad nutus dociles vestros dictata capessunt
 19 imperia : en varios aurum sese aptat in usus,
 20 ducitur argentum, facilis tornatur et arbor,
 21 silvis truncus iners ; nec jam intractabile marmor
 22 Principis in vultus it sponte, trahitque figuras.
 23 Addite vos mutis vocemque, animamque figuris.
 24 Quin etiam immani patefacta voragine Tellus,
 25 quando ambit Natura novis servire triumphis,
 26 grandia, visceribus quae delituere profundis,
 27 saxa sinu depromit, amant prodire sub auras ;
 28 iussa simul coeunt, artis compagibus haerent,
 29 atque triumphales sensim curvantur in arcus.
 30 Suspirant titulos, titulos super addite saxis.
 31 Hic vester labor, at vestri non summa laboris :
 32 scilicet, Europam bello qui terruit omnem,
 33 spectandus populis sola regnaret in Urbe

34 victor pace fruens : tutis, dum bella geruntur,
35 civibus haec fuerint spectacula ; gloria metas
36 non patitur, rapida illa volat, nescitque teneri.
37 En vobis multo igne micant liquefacta metalla,
38 caelarique petunt : caelate ; ab imagine sculpta
39 accipient pretium geminos portanda sub axes.
40 Insanae nil molis habent, damnosa vetustas
41 nil poterit, neque Livor, edax nec denique Tempus.
42 Antiquas turres, atque alta Palatia regum
43 funditus evertat, totamque exerceat iram
44 in vastas operum moles, monstretque ruinas
45 illustres multa insultans ; quodcumque paratis
46 ingenii est, factorum hic omnis fracta potestas.
47 Per vos, docta cohors, celeres qui sistitis annos,
48 temporibus qui frena datis, Solesque redire
49 cogitis elapsos, Lodoici ingentia Magni,
50 frendente Invidia, et frustra obluctantibus annis,
51 facta laboratis durabunt scripta metallis.
52 Nec tantum, Annales, operosa volumina, dicent,
53 quantum veridicis animata Numismata verbis ;
54 quae legimus, serique legent, relegentque nepotes.
55 Gaudebit lector, nec taedia longa timebit,
56 gestorum intuitu quamprimum doctus ab uno.
57 Per vos semper erit praesens Lodoicus, et omnis
58 bellator, veteres pugnas, et proelia discet
59 laudis amans, periisse velit pro talibus ausis.
60 Macti animis, armorum inter, bellique tumultus,
61 ne cessate, instant scribendi mille triumphi,
62 inque dies crescunt, properate, exhausta labore
63 ne manus artificum, tandemque oppressa faticat
64 mole operum tantorum ; omnis nam Regia fama,
65 ingens depositum, vobis incumbit, et aequis
66 subditur arbitriis, quaesitae haud indiga laudis.
67 Felices nimium ! quos et labor unus, et una
68 fixos cura tenet studiis concordibus omnes.
69 Nescitis ? Vestrum incauti caelatis in auro,
70 ductores operum, sculpto cum Principe nomen.
71 O mihi ! fas esset vestri sacraria coetus
72 intrare, et grato simul indulgere labori.
73 Quos animos ! caperem quantas ad carmina vires !
74 Et qua voce, quibus clamoribus aurea dicta
75 vulgarem, aeternis memoranda oracula saeculis !
76 Paucis concessum est tam sanctum insistere limen.
77 Difficiles aditus longo acquisita labore
78 Virtus, et Meritum, et rerum Prudentia servant.
79 Ne tamen, addita lux, nostris Academia Musis
80 defpice, quae nuper Reginae inscripsimus Urbi.
81 Si propriis minus apta locis, celerique viator
82 praetereat pede, nec lentus vestigia sistat ;
83 iudicibus vobis, scripto splendentia in auro,
84 dedecus in nostrum frangantur carmina, et ultro
85 marmora dissiliant, vanum indignata Poetam.

EAEDEM REGIAE NUMISMATUM ET INSCRIPTIONUM ACADEMIAE
UT LATINE INSCRIBAT PUBLICA MONUMENTA.

P_97 v.1 Roma diu puri mater, custosque leporis,
2 amissos flebat linguae Latialis honores.
3 Hanc labem intulerat cultis gens aspera Musis
4 irrumpens Latio ; visi dediscere morem
5 paulatim Ausonidae ; tenet urbem barbarus hostis.
6 Cessit amor Musarum, Italis pelluntur ab oris,
7 neglectaeque jacent nullis cultoribus Artes.
8 Verum ubi Caesaribus, longo promissus ab aevo
9 successit Lodoicus, et aequat Marte triumphos,
10 quales attoniti cupiant vidisse Quirites.
11 Ingenuae rediere Artes, rediere Camenae,
12 Romano fas ore loqui, linguaeque cadentis
13 surgit priscus honos ; videas jam emergere lectos
14 Franca e gente viros, quibus omnis cura tueri
15 heroum facta egregia, et caelare metallis.
16 Bellica laus velit, et Francorum gloria poscat.
17 Tantis praesidibus posito squalore situque,
18 se Roma agnoscit, densaque in nocte sepulti
19 ecce reviviscunt, quos aurea protulit aetas,
20 magni oratores, tumulisque excita profundis
21 turba poetarum, tanto servite parata
22 Principi, in occursum studiis se ardentibus urget
23 et pudor est tacuisse diu, et celasse repostas
24 Romanae tot opes linguae, quas sponte recludit
25 Principis in magni laudes, nimiumque superba,
26 si per vos, docti o Proceres, gens culta, politi
27 et sermonis amans Francum prodire sub axem
28 illi contigerit, Lodoico et plaudere Magno.
29 Jamdudum Elysiis ducentes otia campis
30 audierant (manes placidos ea fama subibat),
31 ingentem Lodoicum armis, pietate secundum
32 nulli, et consilio, quo vindice territus Error
33 sub specubus sese abdiderat, dum tollit ad astra
34 relligio caput, et Francos dat jura per omnes.
35 Perculsi tanta pietatis imagine, Regi
36 et citharas, et plectra dicant, lituosque, lyrasque,
37 bellantumque tubas, vobisque volumina pandunt,
38 qui servatis adhuc veteris vestigia Romae.
39 Quin inscribendis semper magis apta triumphis,
40 Roma lubens offert patrii sermonis honores.
41 Arripite ; (hoc furto vates laetamur in ipso)
42 'Ausonidum spoliis Francos ornate triumphos.'

AD CAROLUM PERALTUM VIR. ACADEMICUM.
QUOD LATINI POETAE NON SINT IN HONORE APUD AULICOS.

P_98 v.1 Affer opem, Peralte, meos ne despice questus,
2 obruitur quantis noster Apollo malis !
3 Deserimur ! Latioque premit nox alta poetas,
4 nullus honos Latiis, gratia nulla modis.
5 Arentes jam sponte cadunt de vertice lauri ;
6 et despecta nimis plectra canora silent.
7 Scilicet Ausonios manet haec fortuna poetas,

8 inclita sic virtus praemia digna refert.
 9 Divini deinceps morietur Musa Rapini,
 10 et jam, Commiri, tuque, Ruae, siles,
 11 hi tamen hi vates manifesto numine pleni,
 12 quo tu fonte bibis, hoc quoque fonte bibunt.
 13 Per nos, dicam etenim, Reges et proelia Regum,
 14 per nos posteritas erudienda leget.
 15 Fors etiam e nostro veniet tibi carmine nomen,
 16 qui das praeclaris artibus unde vigent.
 17 Sed quid ego attollo peregrinae munera linguae ?
 18 Atque incompositis carmina fracta sonis.
 19 Oblectant Galli mira dulcedine vates,
 20 et versus blandos blanda puella legit.
 21 Illa quidem caecos, quibus uritur, audit amores,
 22 quae sitiit longum, blanda venena bibit.
 23 Hos legit, hos relegit vel seri ad luminis ignes,
 24 perditaque, hos versus dum meditatur, amat.
 25 Profuerit semper teneris placuisse puellis,
 26 sic est : nam solis quae placuere, placent ;
 27 et nos Ausonii per carmina quaerere nomen
 28 pergimus ! Ausonios non legit Aula modos.
 29 Olim Roma fuit, celebresque fuistis Athenae,
 30 temporibus vates hi placuere suis.
 31 O nimium infelix alieno tempore vates !
 32 Carmina quae scribo mobilis aura rapit.
 33 Barbarus ille fuit, qui me prior ore Pelasgo,
 34 qui me Romano compulit ore loqui.
 35 Certis qui docuit sub legibus, ordine certo
 36 libera captivis cogere verba sonis.
 37 Non impune tamen Latius me fallet Apollo,
 38 dediscet fastus Musa Latina suos.
 39 Saevire in natos licuit quandoque parenti,
 40 ipse ego sic versus dilacerabo meos.
 41 Frustra Pierides, frustra prohibetis amici.
 42 Protinus in flammis ibit et ille liber.
 43 Ille liber, doctae quem dictavere Sorores,
 44 quem, Peralte, legis, quemque legendo probas,
 45 quid mihi tot soles, tam longas ducere noctes
 46 profuit, et curis me cruciasset meis ?
 47 Si non inde datur Colberti agnoscere vultus,
 48 tangere nec purae limina sacra domus.
 49 Ille rigat patrias, quas profert Gallia, lauros,
 50 o utinam Latias vel levis unda cadat !
 51 Aspiceres laetos inopino munere vates,
 52 erueret e tenebris scripta sepulta suis.
 53 Scripsimus, et nostri superant monumenta laboris,
 54 optima pars nostri nominis, ille Liber.
 55 Hunc lege, nostra tuam tangant si carmina mentem,
 56 Colberto dicas, ille poeta, meus,
 57 addas meque novos titulis inscribere fontes,
 58 fontibus his proprias meque dicasse deas.
 59 Multa reluctantem captivo in litore Rhenum,
 60 et truncum sub aquis occuluisse caput.
 61 Me domitos cecinisse novo sub Caesare fluctus.
 62 Et profugas, inter ferrea castra, deas.
 63 Hic ille est, dicas, qui jam celebrata per urbem
 64 Ausonia cecinit regia dona tuba.
 65 Addes Santoli non olim ignobile nomen,

66 et dices, quicquid dicere suadet amor.
 67 Si tibi jam facilem Colbertus praebeat aurem,
 68 molles quaere aditus dexter, et affer opem.
 69 Scribere me celebres, quos ambitiosa Vetustas
 70 et quos ostentat Gallia docta, viros.
 71 Et qua quisque sua princeps excelluit arte,
 72 dicas Ausonii nobile vatis opus.
 73 Quos inter, Peralte, meus jam gestit Apollo
 74 scribere te, atque tuas pandere mentis opes.
 75 Longe omnes supra Colberti major imago
 76 gaudebit doctis imperitare choris.
 77 Illum pulchrae artes, illum cultique poetae,
 78 magni oratores tunc super astra ferent.
 79 O mihi contingant centum linguae, oraque centum,
 80 omnis Apollineus proluat ora liquor.
 81 Si me difficilis vultu minus aspicit aequo,
 82 irata frangam plectra, tubamque manu.

AD JAC. BENIG. BOSSUETUM EPISC. CONDOM. S.P. DELPHINI PRAECEPTOREM.
 IN MALEDICUM LATINI CARMINIS DETRACTOREM.

P_99 v.1 Quis, Bossuete, furor, quis me novus impetit hostis ?
 2 Quae nova immeritum detonat ira caput ?
 3 Scilicet Ausonios semper fortuna poetas
 4 obruet, et versa deprimet usque rota ?
 5 Ecce vides quam dura premat sors undique Musas,
 6 dura sorte tamen durior ille fuit.
 7 Ille meum audaci laceravit carmine carmen,
 8 risit et insulsis scripta Latina jocis.
 9 Vindictae indulgens, quos numquam sensit amicos,
 10 imbelli senior provocat ense Deos.
 11 Invocat Archilochi rabiem, insanosque furores,
 12 afflavit tremulum quis Deus ille senem ?
 13 Non deus ille fuit : Stygios quibus utitur ignes
 14 crediderim, non sic blandus Apollo furit.
 15 Demens ! qui mites vocat ad certamina Musas,
 16 aspera virgineas poscit in arma manus.
 17 Illum si calami teneat tam dira cupido,
 18 (nam sua sunt doctis proelia docta viris).
 19 In miseros vates, tales exercent iras,
 20 et mites Elegos mitis et ipse legat.
 21 Otia pacis amant scribentes docta Camenae ;
 22 quae mulcent animos, dedecet ira deas.
 23 Quid me ergo rabido ore petit, Latioque Poetas
 24 insequitur numeris durior ipse suis ?
 25 Ah ! male tunc pereant, per me licet, optima vatum
 26 carmina, quis curet talia, nullus erit.
 27 Romani fuimus, jam ingloria turba, poetae,
 28 nostrarque sub multo pulvere scripta jacent.
 29 Quin etiam sculpto quos olim inscripsimus auro,
 30 tot tituli, regum tot monumenta ruant.
 31 Quamquam o ! Palladiae semper florebatis artes,
 32 vos modo Delphinus, quem docuistis, amet.
 33 Si faveat, Luparam penetrabimus, arma satelles
 34 ponet, et ire via liberiore dabit.
 35 Crescent inde Artes, crescet decus inde Latinum,
 36 et suus Antiquis restituetur honos.

37 Jam lituos, et plectra, tubas, calamosque paramus
 38 major anhelanti personat ore Deus.
 39 Et taceam, Bossuete, tuo dum pendet ab ore
 40 quem fingis Regno, Regius ille puer ?
 41 Ille meos, quos Musa jubet tibi scribere versus,
 42 spero equidem, hos versus, teque legente, leget.
 43 Et nos Fernandus, cui Lippia subjicit urnam,
 44 nos, dum saeva tonant undique bella, legit.
 45 Barbaries numquam, atque vagae inconstantia linguae
 46 mutabit nostros, quos legis usque, modos.
 47 Et penetrant aulas, penetrant et limina Regum
 48 carmina, quin manes non subiere semel.
 49 Unde tot Elysiis nuper mala murmura campis ?
 50 Ad numeros Manes ingemuere meos.
 51 Pallidior visa est indignans Caesaris umbra,
 52 et Germanicus hinc, Drusus et inde fugit.
 53 Occuluit vultus magnus Cato : "Vincimur, inquit,
 54 Romaque Romanos non tulit una viros.
 55 Scilicet illa recens Manes descenderat imos,
 56 terruerat Latios garrula Fama viros :
 57 Rheni perdomitos Lodoico Principe fluctus
 58 vulgabat, numeris, docte Ruaeae, tuis."
 59 Illam Umbrae, Manes Latii audivere sonantem,
 60 'Illic Gallorum non datur ore loqui.'
 61 Commiri Elysiae repetebant carmina valles,
 62 carmina Pindaricis aequiparanda modis.
 63 Audierant jam Pererios sacra agmina cantus,
 64 quos dudum Flaccus credidit esse suos.
 65 Necnon ancipitis firmabat pectora turbae
 66 Cossarti Ausoniis umbra recepta jugis.
 67 Sed quid ego ? Latias Delphinus amaverit artes,
 68 vivemus, prohibet Musa Latina mori.

LIBRO F. FRANCISCI CARPENTARII VIR ACADEMICI
 DE ARCU TRIUMPHALI GALLICE INSCRIBENDO.
 APPLAUDIT SANTOLIUS VICTORINUS.

IRONIA TAM ELEGANS UT ADVERSARIUS EA DECEPTUS FUERIT.

P_100 v.1 Terruerat titulusque audax, nomenque Libelli,
 2 quotquot amant Latia grande sonare tuba.
 3 Scilicet is primas ausus sibi poscere partes,
 4 posthabuit Francis verba latina sonis.
 5 Vatibus Ausoniis Romana relinquere plectra
 6 mens erat, et posita triste silere lyra.
 7 Decipimur, dixi, nec scripta lacessere nostra,
 8 nec voluit nostris imperitare choris.
 9 Ille quidem Gallus Gallorum jura tuetur,
 10 et patriam merita laude carere vetat.
 11 Orabat causas Romano Tullius ore,
 12 laudabatque tuos, Attica lingua, sales.
 13 Sequanides calathis Nymphae date lilia plenis,
 14 vestros qui titulos asserat, ultor adest.
 15 Vestra per hunc jam lingua suos agnoscit honores,
 16 jam nihil in Latio, quo superetur, erit.
 17 Dat verbis numeros, magnis dat pondera rebus,
 18 ecquis erit patrio nunc pudor ore loqui ?
 19 Non jam incerta, suas gaudet praescribere leges,

20 quas constans usus, quas ratioque probat.
 21 Quippe usu longo videas splendescere voces,
 22 puraque deterso verba nitere situ.
 23 Quae male nata, diu sub Franca incude reformat,
 24 mollit et ingratis asperiora sonis.
 25 Ambitiosa etiam tumidae ornamenta loquela
 26 dedidicit, purae simplicitatis amans.
 27 Non illa oblectant fallentum ludicra vocum,
 28 nec salibus, lepidis nec caret illa jocis.
 29 Perpetui comites, et lucidus Ordo, nitorque,
 30 et decus, et gravitas, blandus ubique Lepos.
 31 Nil opis externae, Latii nil indiga cultus,
 32 nativas fundo divite promit opes.
 33 Paulatim Ausoniae sic crevit gloria linguae,
 34 cum leges nondum, juraque Roma daret.
 35 Ast ubi se dominam agnovit, rerumque potentem,
 36 Graiorum excussit libera facta jugum.
 37 Tum posuit certosque modos, normamque loquendi,
 38 et victos Latio compulit ore loqui.
 39 Solane tot titulis, tot Gallia clara triumphis,
 40 sermonis sileat pauper, egensque sui ?
 41 Fallimur Ausonidae, constat sua gloria Gallis :
 42 annuimus, fas his scribere, fasque loqui.
 43 Et quibus hoc stetit Imperium, lauroque superbos
 44 tot bellatores non sinet illa mori.
 45 Quem Mars, quem domitis Rhenus modo palluit undis,
 46 Magnanimum Regem Musa silebit iners ?
 47 Qui potuit Regni vastos extendere fines,
 48 num poterit patriis hic dare jura sonis ?
 49 Cujus voce ruit miles furiosus in hostem,
 50 qui fera torpentes movit ad arma manus,
 51 scilicet ille suo careat Victoris honore
 52 sermo, tot et laudes lingua aliena canat ?
 53 Et quos non peperit peregrina ostendet honores ?
 54 Dedecus hoc Gallae vos prohibete Deae.
 55 Certatimque omnes verborum evolvite gazas :
 56 et vester tandem prodeat ille liber,
 57 ille liber centum promissus, et auctus ab annis,
 58 quo lucem accipient verba, decusque suum.
 59 Haec solidos arcus, structasque ad sidera moles
 60 inscribant patrio cognita verba solo.
 61 Nam quid docta manus, quidve artes, quidve figurae ?
 62 Ni voces habeant marmora sculpta suas.
 63 Multa obluctantem captivo hic flumine Rhenum
 64 cernere erit, profugas inter et arma Deas.
 65 Mox trepidare Aquilam, Belgamque pavere Leonem,
 66 attonitus sculpto civis in aere legat.
 67 Et functus bello spectet sua proelia miles,
 68 quam bene tunc facti conscius ipse sui.
 69 Hic dum vulgus hians scripto pendeat ab auro,
 70 clam me me increpitans, haec ego pauca loquar :
 71 "Si patriae afflassent dextro me Numine Musae,
 72 nunc legerer, titulos nunc legeremque meos.
 73 Dum loquor, indignans mihi multa minatur Apollo,
 74 Italidesque vetant dicere plura deae.
 75 Parcite, si vestras ludendo laesimus aures,
 76 hoc licet invitae forte legetis opus.

BULLAE PRAEFATIO. LECTORI.

P_101 v.1 Ne stupeas, Lector, bullatis si mihi nugis
 2 pagina turgesuat, juvat et meminisse jocorum,
 3 quos scio me molli quondam lusisse juvena.
 4 Ludere amant Musae ; post seria lusibus uti
 5 quid vetat ingenuis ? Sua mulcet quemque voluptas.
 6 Carmine ranarum cecinit certamen Homerus,
 7 Virgilius parvum culicem ; cur non nihi "Bullam"
 8 carminibus liceat, calamos si doctus Apollo
 9 praebeat artifices ? Quod si tibi displicet ille
 10 ingenii lusus, carpas ne carmina, Lector,
 11 vel minimo flatu Bulla evanescet in auras.

IN MOROSOS CENSORES.

P_102 v.1 Ne stupeas, lector, bullatis si mihi nugis
 2 pagina turgescat, juvat et meminisse jocorum,
 3 quos scio me molli quondam lusisse juvena,
 4 parvos parva decent ; mulcet sua quemque voluptas :
 5 ranarum cecinit magnus certamen Homerus,
 6 Virgilius culicem lusit, cur non mihi bullam

BULLA SEU LACHRYMAE PHYLLIDIS IN BULLAM PRIMO, DEINDE IN SIDUS CONVERSAE.
METAMORPHOSIS.

P_103 v.1 Desinite o miserae Phaetontem flere Sorores,
 2 nam vestris quamquam ex oculis, et cortice duro
 3 pura electra fluant, teneris gestanda puellis,
 4 Phyllidis anteferam, quos muto in sidera, fletus.
 5 Forte suos Phyllis, si vera est fabula vatium,
 6 et cantu querulo, et luctu lenibat amores :
 7 lugentem miseratus Amor : "Ne comprime, dixit,
 8 hos luctus, ipsos quamprimum in sidera vertam."
 9 Mox fluidos subjecta oculis concha excipit imbres,
 10 pulchrum aliquid meditans ; his miscet fletibus undas,
 11 artifices undas, medicatosque arte colores :
 12 en motante Deo liquor omnis cogitur, omnis
 13 jam formae patiens, varias et promptus ad artes ;
 14 quem dein guttatim calamis sitientibus haurit,
 15 hosque implet flatu calamos, mirabile visu !
 16 Gutta tumet, parvumque sibi mox conficit orbem ;
 17 prodigium ! Orbe brevi totus describitur Orbis.
 18 Non tot habet caelum, picti non floribus agri,
 19 non mare disparibus conchis, quot et illa colores.
 20 Aemula praereptos e nubibus Iris honores
 21 vidit, et invidit ; quoties conata malignis
 22 fraudibus et flatu vitreos extinguere fetus ?
 23 Letiferas sed Amor frangendo discutit auras
 24 remigio alarum, et circum tutatur alumnam.
 25 Ergo novos meditata dolos se fingit amantem,
 26 divinum nunc laudat opus, nunc laudat Amorem.
 27 Artificem, et varios adverso Sole colores,
 28 miranti similis vultuque immobilis uno
 29 observat quamam arte tubi prodiret in auras

30 bulla, suumque tumens sensim componeret orbem ;
 31 et formatrices operum circumspicit undas,
 32 aeraque, et gelido volitantes carcere flammās.
 33 Cuncta elementa videt formandae accurrere Bullae ?
 34 His accensa super crudum celare dolorem
 35 non ultra evaluit, sic tandem prodidit Iris.
 36 "Quae nova per caelum, fastu quae turget inani
 37 Bulla ? Meos impune audax imitatur honores,
 38 et quamquam incedo Regina, parensque colorum,
 39 ambit et hos titulos temeraria ; quid vetat ergo
 40 illa meos deinceps scandat sub nubibus arcus
 41 nuntia Junonis ? Necquicquam jam vocor Iris."
 42 Jamjam erumpentes Venus obvia temperat iras,
 43 et dea ludentem his verbis excusat Amorem :
 44 "Hoc opus est pueri ludentis, imago sereni
 45 clara poli, nova perspicuis sine nubibus Iris
 46 flatu oritur, moriturque, hanc format et enecat aura ;
 47 sed tu quandoquidem nescis, adverte, docebo,
 48 quam tenui lateant rerum miracula vitro.
 49 Aspicias ut parco calamus bibit ore liquorem,
 50 ut liquor informis primum, componitur intus,
 51 exspectatque animam, et genitales postulat auras.
 52 Hanc puer, hanc infunde animam, si Bulla madenti
 53 trudatur tubulo (nam flatu ductilis humor)
 54 nascentem foveas, e pectore prome modestos
 55 pro tutela operis, flatus, et parcius urge :
 56 nam tenuis ventus se Bullae infundit in orbem
 57 paulatim, hinc clauso distenditur aere Bulla,
 58 hinc capit innumeros magis ac magis aucta colores,
 59 quos motu amittit, reparatque volubilis uno ;
 60 nam nova sit semper, quotiesque agitata movetur,
 61 mutatur toties, mox ignea tota rubescit,
 62 et monstrat sub aquis blandos sine viribus ignes ;
 63 frigida mox, casus veluti praesaga futuri
 64 pallescit, ferrugineos imitata colores.
 65 Quod si forte gravis nimiam tubus hauserit undam,
 66 altera post aliam succedet, et altera Bulla,
 67 et veniet semper quae non sperabitur illa ;
 68 si pereat male nata, suo nimis obruta succo,
 69 perge instare tubum, reliquosque animare liquores :
 70 succus pinguis inest, variisque coloribus aptus :
 71 alterius fato melior tibi Bulla resurget ;
 72 et fragilis quamquam illa, cavoque simillima vitro,
 73 mentitur durum, jamjam peritura, metallum.
 74 Discite, Bullarum artifices, festiva juvenus,
 75 quot casus Bullae immineant ; nam perfidus humor
 76 mille modis fallit pueros, qui forte receptus
 77 interiore tubo quamprimum elabatur. Et spem
 78 deludit pueri frustra incumbentis avenae.
 79 Saepe etiam in gutta manet improbus, at magis instat,
 80 et magis ingeminat flatus puer, invocat artem,
 81 objurgat sese, calamumque explorat, et aptat
 82 necquicquam ; flatu numquam fit ductilis unda,
 83 seu conceptam animam rimosa relaxet avena,
 84 sive augusta nimis, nodove obstructa recuset,
 85 seu denset sese, seu rarior unda liquescat.
 86 Sed si te moveat formandae gloria Bullae,
 87 labra puer digito, et graviorem comprime flatum.

88 Nam subito in veterem guttae revoluta figuram
 89 dissiliet, flebitque suam perfracta ruinam.
 90 Saepe etenim vidi exstinctas per flamina Bullas ;
 91 intus ventus inest, vitreum qui concutit orbem.
 92 Illa autem venti impatiens gravioris in ipso
 93 emoritur calamo, et pluvium se solvit in imbrem.
 94 Dum sit opus, risus quoque comprime : saepe cadendo
 95 ridentis pueri nitidos turbavit ocellos.
 96 Illam aestus gravior necat, illam frigus iniquum,
 97 saepius invidiae puerorum, atque aemulus ardor.
 98 Si petis, innumeri succedant unde colores ;
 99 non omnes creat unda, illos (si credere dignum est)
 100 fletibus impressit dum Phyllis luxit amores,
 101 illius ex oculis lacrimae traxere cadentes,
 102 perque genas candorem illum, perque ora ruborem.
 103 Aut quae fracta cavo Solis lux emicat orbe.
 104 Posse pati flatum, ut magis, ac magis illa tumescat,
 105 te doceat Bulla pendente superfluus humor.
 106 Nam non crescit opus, si totam extenderis undam.
 107 Incipe tunc cohibere animam, se credere caelo
 108 audebit, calamumque, patremque injussa relinquet.
 109 Nam cum Bulla suum crescendo expleverit orbem,
 110 quaerit abire fuga titubans ; calamique per omnes
 111 itque reditque oras, sicco male pendula culmo.
 112 A ventis defende locum, ne turbo caducam
 113 crudelis perimat media inter gaudia Bullam."
 114 Finierat, nec enim poterat mulcere dolorem
 115 Iridis ; invidiae crescunt, iraeque tuendo.
 116 Interea Veneris tutela, audacior ales
 117 prodit Amor, digitoque premens permolle labellum,
 118 formatam ostendit, venti ludibria, Bullam.
 119 Hancque tubo excutiens pennis, flatuque fugabat,
 120 ni faceret, se sponte sua librasset in auras :
 121 ibat parva quidem, magnis sed debita fatis ;
 122 hanc circum alati juvenes, infraque, supraque,
 123 et motu alarum et flatu parcente salutant.
 124 Dum volat, objecta ditescit imagine rerum :
 125 haec urbes rapit, haec populos, camposque patentem,
 126 et nemora, et vitreos altis cum montibus amnes ;
 127 hic Lunam, Solemque novum tunc Sidera norunt.
 128 Sed tantis onerata opibus, levitate superbit :
 129 ut tamen excipiat plausus, oculosque sequaces
 130 alliciat, remoratur iter, tardoque volatu
 131 incedens, patrium sensim petit hospita caelum.
 132 Tum cuncti mirantur opus, sola invidet Iris,
 133 non sibi, non oculis credit pater, ardet, et anceps
 134 pendet ab eventu, longe comitatur euntem,
 135 omnibus et votis locat inter sidera Bullam.
 136 "I, Bulla, i, dixit, regnis succede supernis.
 137 Ne tamen in Bullam ventorum improvida turba
 138 irruat, hanc defendit Amor, mollique flabello
 139 hanc urget sensim attollens, et remige penna,
 140 hanc etiam caelo pueri suspiria tollunt.
 141 Jam nubes supra, montes evaserat altos
 142 aeriasque plagas, regna impacata procellis.
 143 Ventum erat ad caelum, ventorum ubi flamina nulla
 144 vicinas Superis audent vel tangere sedes.
 145 Hic placuit Bullam instabilem conjungere stellis ;

146 lucida erat, tunc lucidior : bibit ignea Solem,
 147 et bibit aeternos astrorum immobilis ignes,
 148 Sol vitreum corpus frigentis more metalli
 149 consolidat, vel testae instar fornace recoctae.
 150 Illa teres, teretem servavit versa figuram.
 151 Hinc Bullae caelum affectant per inane volantes ;
 152 sed paucis licitum est superos evadere ad axes.
 153 Sese attollentes, in terras deprimit Iris.
 154 Vindictae indulgens, et jam crudelior ira
 155 quas caedo videt, in guttam pro sidere mutat.
 156 At tu, dum caelum sua sidera volvet eundo
 157 sidus eris mea Bulla, dies numerare licebit
 158 te surgente, mihi faustos et ducere Soles ;
 159 et ni fata obstant, prope te mea nympa locabis,
 160 et vatem excipies qui te omnibus addidit astris.

DE LEPIDIORE ARGUMENTO BULLAE RATIONEM REDDIT POETA.

P_104 v.1 Hoc lepidum carmen vel adhuc pubentibus annis
 2 scripsi ; non pudeat rudiorem exponere Musam ;
 3 est incompositae sua laus et gloria Musae.
 4 Nos pueri fuimus, tunc pulchro laudis amore
 5 omnia praeclaro tentabam scribere versu.
 6 Plaudebant juvenes, mihi non minus ipse placebam,
 7 et me grandiloquis jam tum miscere poetis
 8 stultus ego audebam, et caelum tetigisse videbar.
 9 Addiderant animos, dum laudant multa Magistri.
 10 Non illos mendisque scatens, crudumque pigebat
 11 ad caelum vultu simulato attollere carmen.
 12 Spondebantque omnes me magnum in nomen iturum.
 13 Credulus, ah ! nimium per carmina quaerere famam
 14 incoepi ; at vatem sine nomine Fama reliquit.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM D.P. BELLEVRAEUM PRO DEFENSIONE FABULARUM.
 CUI SUBDIT EXCUSATIONEM ET PALMAM LIBENTER CONCESSAM FR... CEDIT.
 ELEGIA.

P_105 v.1 Ergo sacra novae mutabunt carmina leges,
 2 et suus Antiquis praeripietur honos ?
 3 Tot vatum monumenta, tot et decora alta peribunt ?
 4 Musarum tot opes auferet una dies ?
 5 Ah ! tantum prohibe facinus, Pater optime vatum,
 6 non alia fueris tu mihi lege Deus.
 7 Vos tantum prohibete nefas, prohibete Camenae,
 8 non alia dicam vos ratione Deas.
 9 Ecquis erit vestros posthac qui curet honores,
 10 irrita si nullam Numina fertis opem ?
 11 Non ita : tot veterum praeclara inventa manebunt,
 12 et quod sacravit fabula prisca, melos.
 13 Numen habent Musae, vos, fontes, numen habetis,
 14 sunt etiam et silvis, arboribusque deae.
 15 Et nemora, et montes, vallesque, et inhospita saxa,
 16 ipsaque cum rivis flumina numen habent.
 17 Nuper multa gemens in litore flebat Amyntas,
 18 et fato raptum saepe vocabat Hylam.
 19 Flebant et rupes, fontesque et litora flebant,

20 flere etiam visa est conscia Nympha loci.
 21 Et montes doluisse, annosaque robora circum
 22 corticibus ruptis ingemuisse ferunt.
 23 Quid non Pierides, quid non finxere poetae !
 24 Vidimus arguta moenia structa lyra.
 25 Vidimus auritas motare cacumina quercus,
 26 et cursus amnes sustinuisse suos.
 27 Dant vates vultus varios, variosque colores,
 28 eque solo ducunt quae super astra ferant.
 29 Surda vocant, immota movent, mentem omnibus addunt ;
 30 artis opus summum, mille placere modis.
 31 Obscuris vera involvunt, celantque docendo,
 32 sublustri et nebula splendidiora tegunt.
 33 Sol veluti rutilis quando fulgoribus ardet,
 34 nubibus obvolvi, qua videatur, amat.
 35 Maxima sunt, plerumque tegit quae fabula, et illis
 36 e tenebris fulget pulchrius orta dies.
 37 Lector amat veros dubia sub imagine sensus,
 38 quaesitasque diu cernere gaudet opes.
 39 Quin etiam humanis divina affingimus ora,
 40 et sunt, quae proprio nomine sponte carent.
 41 Ignem Mulciberum, Cererem frumenta vocabo,
 42 et pluvium, in terras dum cadit unda, Jovem
 43 si Venetas describam arces, molimine magno
 44 "Non homines dicam, sed posuisse deos",
 45 illic Adriacis surgat Neptunus ab undis,
 46 atque novae admirans haereat Urbis opus.
 47 Quod si bella canam, Jani Mars limina vellat,
 48 et bellatores ducat in arma deos.
 49 Mulciber Aetnaeis recoquat fornacibus arma,
 50 Thracibus, aut rigidis arma tremenda Getis.
 51 Tum scelerum inventrix lacera Discordia palla
 52 advocet infernas ex Acheronte deas.
 53 Mox amnes trepidare, imis pallere sub antris,
 54 dum Bellona furens impia bella movet.
 55 Si decora haec tollas, sine vi, sine pondere carmen
 56 lectori fesso taedia mille feret.
 57 Quid memorem Flores ? Si numina Floribus absunt,
 58 cur pallent Violae, cur Hyacinthe rubes ?
 59 Cur sibi cognatos Anemone deperit Euros ?
 60 Unde color Calthis, et color unde Rosis ?
 61 Non his terra putris det floribus, unde rubescant,
 62 sed Pueri, aut Veneris sanguine tingat Amor.
 63 Vos sine Pomona nusquam florebitis horti,
 64 et maesti, nisi Pan pascat, abite greges.
 65 Sunt haec magna quidem veterum mysteria vatum,
 66 temporibus seris quae violare nefas.
 67 Ergo tui, Belevraee, canam si gaudia ruris,
 68 alloquar et Nymphas, silvicolasque deos :
 69 et Charites aderunt, zonis de more solutis,
 70 alterno terram concutientque pede.
 71 Illuc pastores, illuc mihi rustica turba,
 72 et pariter veniant dique deaeque loci.
 73 Fauni cum Satyris, clavam, thyrsusque relinquunt,
 74 tympana cum sistris aeraque pulsa sonent :
 75 Pampinea incomptos redimiti fronde capillos,
 76 lascivis celebrent orgia laeta modis.
 77 Jam madidi vino media inter pocula, libent,

78 et tibi, magna Pales, et tibi, Bacche pater.
 79 Maenades hic ululent sparsis sine lege capillis,
 80 et fuget attonitos turba proterva viros.
 81 Tum Lector gaudebit, amat nam mille figuras,
 82 se quoque festivis credet adesse choris :
 83 quin etiam arridens, jam tum mihi plaudit Apollo,
 84 plaudit Apollinei docta catterva chori :
 85 et Nymphae properant alacres ambire poetam,
 86 et viridi lauro tempora nostra tegunt.
 87 Ruris et ipse mihi Dominus quoque plaudit amico
 88 Numine, et incoeptis annuit usque meis.
 89 Exsulet ergo procul sacris gens invida Musis,
 90 et placuisse tibi sit, Belevraee, satis.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM F. BUTILLERIUM ABBATEM CHAVINIUM,
 IN VANAS POETARUM FABULAS. CL. SANTOLIUS FRATER VICTORINI.
 PRIMO QUOD ANILES SUNT ; SECUNDO QUOD A MORIBUS CHRISTIANIS ABHORREANT ;
 POSTREMO QUOD NATURA PER SE CAMPUS SIT SATIS PATENS IN QUO EXULTARE
 POSSIT POETICA ABSQUE FABULARUM OPE.

P_106 v.1 Ite procul veterum figmenta incondita vatum,
 2 Dique, Deaque, sacros nec violate modos.
 3 Ludicra sat nostras tenuistis Numina mentes,
 4 nec Dea Melpomene es, nec mihi Apollo Deus.
 5 Antiquis liceat sic insanire Poetis,
 6 quos vanae lusit Relligionis amor.
 7 Longe alius mentem ardor agit, dediscere nugas
 8 admonet, atque alia me jubet ire via.
 9 Dux mihi Christus erit, fons rerum, et lucis origo,
 10 hoc uno vates igne calere velim.
 11 Parnassi pro monte, Sion se sanctior offert,
 12 ardet adhuc puro Numinis igne Sion.
 13 Mons sacer ille tulit meliori numine vates,
 14 vates qui falsos increpuere Deos.
 15 Relligio melior postquam caput extulit astris,
 16 aeternum imperium, qua patet Orbis, habet.
 17 Se mundo Deus asseruit, Deus ille deorum,
 18 omnia supremis temperat arbitriis.
 19 Unus hic insanos potis est componere fluctus,
 20 unus et iratis imperitare Notis.
 21 Hic ille est, celso qui summus ab aethere, terris
 22 disjicit haud segni flammae tela manu.
 23 Ille etiam totum subiens tremefecit Avernum,
 24 ultor ubi aeterno se probat igne Deum.
 25 Et quaesitor habet sortesque, et fata nocentum
 26 nec Minos urnam, nec Rhadamante moves.
 27 Qui mare, qui terras, ter magnus et astra gubernat,
 28 tergimini ridet ludicra regna Jovis.
 29 Ille ubi, quo tumidum graderis, Neptune, per aequor,
 30 currus ? Ubi ille, moves quo freta magna, tridens ?
 31 Vane Deum genitor, tua nunc ubi fulmina ? Ubi illae
 32 nostra, quibus plectis crimina, Pluto, faces ?
 33 Illa rudes quondam populos figmenta movebant :
 34 vix ea nunc pueros credula corda movent.
 35 Ridiculis conficta jocos (ignosce vetustas),
 36 nec speciem Veri, nec decus artis habent.
 37 Molle, quis in truncum, nisi trunco durior ipso,

38 virginis immeritae vertere corpus amet ?
 39 Phoebus amat, Phoebum virgo deludit amantem,
 40 et fugit, et supplex a patre poscit opem.
 41 Mollia corticibus durantur membra puellae,
 42 hoc pretium, Daphne, virginitatis habes !
 43 Callidus in pluvium descendit Juppiter aurum ;
 44 scilicet illa decent splendida furta Jovem !
 45 Quis ferat, emoto quando ruit aequore puppes
 46 una Jovis conjux, et Jovis una soror ?
 47 Cui Mars non moveat risum deprensus adulter,
 48 nudaque, qualis erat, compede vincta Venus,
 49 o Divos, impune quibus peccare potestas !
 50 Non alia Dominos se ratione probant.
 51 Reliquias veterum infames, haec monstra, poetae,
 52 intempestivis ne revocate jocis.
 53 Si Christo nascente silent oracula, quid vos
 54 ereptos alio redditis ore sonos ?
 55 Usque adeone levis vos fabula pascit inanes ?
 56 Vos inopes rerum fabula ditat inops ?
 57 O utinam prisca remearent lucis in auras !
 58 Riderent ipsos, quos coluere, Deos
 59 prima haec cura foret Regi, sua sceptrum supremo
 60 asserere, atque uni ponere templa Deo.
 61 "Ergo sacra novae mutent jam Carmina Leges,
 62 et suos antiquis praeripiatur honos."
 63 Nos ratio una regat, nec iniqua exempla moremur
 64 priscorum, prisca desipere sibi.
 65 Is sine servabit suetum Natura tenorem,
 66 nec minus immensas proferet orbis opes.
 67 Vos culti sine Pomona florebitis horti,
 68 floribus accedet, te sine, Flora, decor.
 69 Pallebunt Violae ficto sine crimine Phoebi,
 70 nativo insignes flore rubete Rosae.
 71 Candida virgineum referant intacta. Pudorem
 72 lilia, non vanae candida lacte Deae.
 73 Hesperidum. Valeant horti, vigilataque poma,
 74 se satis ipse suo flore coronat ager.
 75 Nec jam ego te valida timeam violare bipenni,
 76 fatidico frustra quercus amata Jovi.
 77 Dum cantu strepit omne nemus, referamne volucres,
 78 ob veteres rixas jam sua fata queri ?
 79 Ecquid Hamadryades silvis, quid Naiades undis ?
 80 Silva satis donis, et placet unda suis.
 81 Et salient fontes, etsi sub fontibus imis.
 82 Nympharum amplexu non reneatur Hylas.
 83 Quisquis es, oblectant fictae quem carmine Nymphae,
 84 nescio quis demens pectore vivit amor.
 85 Ludicra nam molles animos demulcet imago,
 86 dum placet umbra minus, quam simulata Dryas.
 87 Inde mali labes, hinc vatium insana libido,
 88 immiscens teneris blanda venena modis.
 89 Non tamen obvia verba et inania nomina laudem,
 90 permittam ingenio quo decet ire meo.
 91 Externos vultus nudis affingere rebus
 92 nil dubitem, atque aptis res animare modis.
 93 Bella cano ; veniat picea Discordia taeda,
 94 non bellatores ducat in arma Deos.
 95 Aptentur pennae ventis, Famae oraque centum,

96 centum urbes totidem personet illa tubis.
 97 Exsultent laeto montes et flumina plausu,
 98 inter saxa mihi garriat unda loquax.
 99 Et gemment vites, et pratis rideat herba,
 100 quasque aether hausit terra reposcat aquas ;
 101 non una rerum splendet imagine carmen,
 102 saepe ambit proprio nomina mota loco.
 103 Parcius illa quidem frenanda licentia vatium ;
 104 affectant aura liberiore frui.
 105 Hanc sed enim observent legem, ne pulsa reducant
 106 numina, nil falsa religione tegant.
 107 Non ideo incipiet retro sublapsa referri
 108 res Vatum, hoc damno carminis auctus honos.
 109 Naturae speciem mendax obscurat imago ;
 110 aut vera, aut veris fac propiora canas.
 111 Virgo verecundos tenui velamine vultus
 112 celat, et hinc blando gratior ore nitet.
 113 Sic pulchrum pulchro Verum celabis amictu ;
 114 auro inclusa micat splendida gemma suo.
 115 At veros licet e fictis expromere sensus,
 116 et jam subducta grandia nube patent.
 117 Scilicet is Vatum labor est ; ut seria ludis
 118 turpibus involvant, dedecorentque jocos !
 119 Quid faciant miseri, si non cantetur Apollo,
 120 Pierii colles, Pieridesque deae ?
 121 Tum demum applaudunt sibi, si rationis egentem
 122 obtrudant cantus, et sine mente sonos.
 123 Ah ! potius sit maestum, sit miserabile carmen,
 124 lectori et fesso taedia mille ferat.
 125 Sed majora Deus praebet spectacula, quam quae
 126 insanis Error fingit imaginibus.
 127 Et quid non poteris ? Fecundum concute pectus,
 128 o vatis, pulchri semina pectus habet.
 129 Inspice res intus, mille argumenta ministrant,
 130 magnaue vel minimis gratia rebus inest.
 131 Quidquid sincerum menti Sapientia dictat,
 132 id sequere adnitens, hanc venerare ducem.
 133 Et veneres linguae, nec longe quaere leporem,
 134 ultra quaesitus promicat ipse lepos.
 135 Sublime ingenium fucum fastidit, et umbras,
 136 nativis gaudet luxuriare bonis.
 137 O si Naturae nossent mysteria vates !
 138 Ingenua simplex cresceret arte labor.

PAULO PELLISSONI FONTANERIO.

QUOD ABJURATIS MUSIS PROFANIS, HYMNOS DE DIVINIS REBUS SCRIBENDOS
 PROPOSUERIT, ET PROPONENDO INSPIRAVERIT.

P_107 v.1 Seu pro conciliis te regia detinet Aula,
 2 seu quo bella vocant, Regem comitaris euntem,
 3 huc ades, et sacris facilem da cantibus aurem,
 4 Fontaneri, humiles interdum desere terras.
 5 Illud opus, fausto quod te duce prodit in auras,
 6 jure tuum, laeto, quo nos olim, accipe vultu.
 7 Fors erit, ex nostro, ut veniat tibi carmine nomen.
 8 Hactenus incautum juvenem me luserat error,
 9 Diique Deaeque omnes, tot ludicra Numina vatium,

10 relliquiae veterum infames, et monstra pudenda.
11 Vana superstitio pulchris illapsa tenebat
12 pectus imaginibus, sensimque assuescere falso
13 suadebat ; dulci ah ! nimium mens pota veneno.
14 Famae avidus Juvenis, laudumque cupidine captus,
15 ibam quo Musae, quo tu me, Phoebe, vocabas.
16 Demens, qui Veri non justo incensus amore.
17 Nescio quid captans nugarum, insana sequebar.
18 Qualis deprensus densa sub nocte viator,
19 incertusque viae : volitans si forte per auras
20 accensus vapor, et fallax illuxerit ignis.
21 Exsilit, et vana delusus imagine lucis,
22 sponte ducem sequitur, tuto pede calcat apertum
23 quod sibi fingit iter : misero placet error eunti.
24 Ni caveat, subitoque premens vestigia sistat,
25 praecipitet sese medios male cautus in amnes.
26 Haud aliter praeceps ultro in mea damna ruebam,
27 cum bonus occurris, longisque erroribus actum,
28 proponens meliora, paterna mente reducis.
29 "Pone, inquis, falsas Musarum et Apollinis artes.
30 Sat Musis Phoeboque datum, juvenilibus annis
31 ludi convenient, his et sua gloria ludis.
32 Sed plenos postquam jam vir compleveris annos,
33 te majora vocant, simul omnes ordine longo
34 monstrans caelicolas, totum mihi pandis Olympum.
35 Hic aderant spectandi ostro, vultuque verendi
36 praecones duodeni, olim qui funere tempto
37 mille tubis terras Christum insonuere per omnes.
38 Hos juxta, fusi quae purpura sanguinis ornat
39 vulneribus veneranda suis, palmisque superba
40 agmina, dira suae caedis monumenta gerebant.
41 Non procul hinc forma insignes, teneraeque puellae,
42 quas Christus sacro sibi foedere junxit amantes.
43 Omnes virgineis ornatae tempora vittis.
44 Stabant magnanimo et quae virginitatis amore,
45 sexum ultra, immanes non expavere tyrannos.
46 Parte alia vidi ingentem splendescere turmam,
47 et qui per longos vitam traxere dolores,
48 quique diu flentes specubus latuere sub altis,
49 omnibus ignoti terris ; matresque, nurusque,
50 et pueri, canique senes, confusaque turba.
51 Pone sequebantur. Tacitus dum singula lustris.
52 Tantarum haerebam stupefactus imagine rerum.
53 Vidi gemmifero cinctos diademate frontem,
54 vidi Pontifices, longe omnes ante micabant
55 vestibus in sacris, Numen toto ore ferentes,
56 ausi pro populo, circum fumantibus aris.
57 Aeterno libare Patri, paterisque receptum,
58 qui facit esse Deos, divinum haurire cruorem.
59 Necnon et radiis, et in aurea luce corusci,
60 qui nisu audaci, vel adhuc mortalibus oris,
61 Divinae intrarunt penitus sacraria mentis.
62 Hi fuerint deinceps, qui te et tua carmina poscant
63 magnanimi Proceres, hic te labor, haec pia cura,
64 hoc te poscit opus ; si quae te gloria tangat,
65 si quis honos, ne te eximio furare labori.
66 His Vatem utgebas dictis, tum pectore sensi
67 ardorem impressum, magnamque ad carmina mentem.

68 Continuo rapidis totus super aethera pennis
 69 ecce feror, tunc visa mihi decrescere tellus,
 70 et fugere ex oculis, nec jam mens se capit intus
 71 obruta terrificis splendoribus : intima totum
 72 pectus inundavit, torrentis more, voluptas.
 73 Qualis eram ! Vis intus agit, tum effundere versus
 74 afflatos meliore Deo. Mihi quisque piorum
 75 facta renarrabat memorans, monstrabat honores
 76 promeritos, poenasque omnes, dum vita manebat,
 77 tot vera exhaustos pro Relligione labores :
 78 fulgebat parta donatus quisque corona.
 79 Longe aberant positis Mendacia turpia larvis,
 80 et stolidi Errores, et quidquid adultera Veri
 81 fabula commentis in credula pectora mittit ;
 82 quin etiam pannosa, rudis, mendaxque Vetustas
 83 ostentans canos, rugasque in fronte seniles
 84 necquicquam, puros divini ad luminis ignes
 85 victa recedebat laceris ingloria chartis.
 86 Scribebam interea praeclaram ex ordine gentem,
 87 me caelo affixum tantus labor iste tenebat,
 88 et prope divinum, mutata sorte, Poetam.
 89 Aemula tum Virtus, pectusque animumque subibat
 90 et me multa docens, mores pius ipse magister,
 91 paulatim informabat Amor, mentisque veternum
 92 saepius incusans me ad fortia facta vocabat.
 93 Quam longe mihi dissimilis ! Me adjungere sacris
 94 coetibus ardebam, similesque referre triumphos.
 95 Sic Phoebum et vanas Phoebi ejuravimus artes.
 96 Si quid nunc sapimus, si toto Helicone relicto,
 97 flumina plena Deo, caelestesque hausimus undas ;
 98 si sacra carminibus resonant divum atria nostris,
 99 illud, Paule, tuum est, hujus te gloria facti
 100 justa manet, seris quae surget major ab annis.
 101 Tu mihi sidereas das primus visere sedes,
 102 das Superis jungi, vivisque impervia regna
 103 aethereas peragrare domos, terrisque relictis
 104 ostensum per iter, jusso super astra volatu
 105 das divina oculis mortalibus ora tueri.
 106 Et posthac vos vana colam simulacra Deorum !

R.P. DE MONCHY CONGRE. ORAT. J.C. SACERDOTI,
 CARMEN DE TELLERIO FRANCIAE CANCELLARIO LEGENDUM MITTIT.

P_108 v.1 Tu mihi, qui Superis Musam sacrare monebas,
 2 plaude, fidem exsolvi : Phoebum ejuravimus aras
 3 ante ipsas verbis solemnibus, impia vatium
 4 numina, laudandi et vanas desuevimus artes.
 5 Jam plenum meliore Deo juvat ire per alta,
 6 et caelum peragrare, humilesque relinquere terras.
 7 Si dubitas, nostros quos mitto, perlege versus.
 8 Non ea mortali, virtuti reddita laus est.

POMONA IN AGRO VERSALIENSI QUINTINIO REGIONUM HORTORUM CULTURAE
 PRAEFECTO.

P_109 v.1 Versalii colles, atque alta Palatia ruris,

2 et vitrei fontes, rivique, et amoena fluenta,
 3 quotquot et hic habitant, inter tot divitis Aulae
 4 regificos luxus, vix rustica Numina, Nymphae,
 5 vos etiam non jam indociles cultoribus horti,
 6 regales Horti : decus unde, et gloria vestris
 7 arboribus venit, et cultis nova gratia campis ?
 8 Quintinio dateserta deae, ramoque virenti
 9 vos Nymphae hortorum doctam praecingite frontem,
 10 telluris contra ingenium, solesque malignos,
 11 his florere dedit dudum infelicibus hortis.
 12 Fas olli fuerit, quos sevit, carpere ramos,
 13 du sub Sole alio Lodoicus ab hoste reportat
 14 longe alias lauros inimico sanguine tinctas.
 15 Versaliis sincera habitant ubi Gaudia campis,
 16 Pomona sterilis dudum, et sine honore gemebat,
 17 imprimis dum cuncta virent, dum cuncta resurgunt,
 18 et prisca redeunt aevi melioris honores,
 19 principe sub tanto : vitio telluris iniquae
 20 squallebat radicis egens sine fructibus arbor ;
 21 hic regnare omnes haud aequa mente ferebat,
 22 exilio e longo quas Rex revocaverat artes ;
 23 quod magis urebat pectus : fas cuique dearum
 24 nativas depromere opes, ostendere honores.
 25 Principis ambibant sibi conciliate favorem.
 26 Sola gemens socias inter despecta sorores,
 27 deserere has sedes, nec non regalia tecta,
 28 mente agitat : tanto pudor est se ostendere Regi
 29 vilem adeo, nudamque opibus, proprioque carentem
 30 ornatu foliorum, et pulchro frontis honore.
 31 Nam nulli ad pectus, nullique in vertice flores ;
 32 illa suis sine muneribus, sine divitis anni,
 33 exuviis calathos aegre monstrabat inanes :
 34 Autumno indignante, et flentibus undique Nymphis.
 35 Anxia, tristis, inops, felices transfuga terras
 36 quaerebat, propriis jam tum deserta colonis :
 37 desperat se posse per alta negotia fessum
 38 Principis oblectare animum ; licet omnia tentet,
 39 tellurem et votis, divosque impleret agrestes ;
 40 necquicquam : stat campus iners, dextramque rebellis
 41 respuit agricolae, suus arvis incubat horror.
 42 Ergo qui potuit gentes franare superbas,
 43 fluminibus dare jura, levesque attollere in auras
 44 aerium per iter suspensis fluctibus amnes,
 45 non legem dabit arboribus, nec dura remittet
 46 hujus ad imperium sese Natura, benigno
 47 afflata intuitu ? Ah ! potius mitescere discat,
 48 atque suas oblita vices ingrata rebelles
 49 culturae patiens subigatque, et molliat agros !
 50 Sed quid ego haec autem ? Manet, intractabilis illa,
 51 et placet ipse sibi natus sedibus horror,
 52 haec telluris erat facies miseranda, sine ullo
 53 cultore et sterilis, sine re, sine nomine Campus,
 54 hinc Dea Versalio jamdudum in gloria rure
 55 decedens, alias terras, alia arva petebat ;
 56 Sanclovios pede praecipiti properabat in hortos,
 57 nodo vincta comam, et vestes collecta fluentes.
 58 Cum Quintiniades properantem sistit, et arti
 59 confisus meritos Pomonae spondet honores.

60 Versalides plausere Deae, festusque per altos
61 rumor iit colles, fore mox regalibus hortis,
62 quod non agricolae, nec speravere coloni,
63 quaesitum regale decus ; simul explicat artem,
64 divinam plantandi artem : ceu numine plenus.
65 Re super hortensi memorabat multa, latentes
66 primaeva rerum repetens ab origine causas.
67 Addebat dicenti animos praesentia Regis :
68 explorat terrae ingenium, solesque, suosque
69 astrorum influxus : prudens discriminat agros,
70 nam plantis tellus non convenit omnibus una.
71 Optimus ille locus pomis, haec optima sedes,
72 inter saxa, piris ; citros necat humida tellus :
73 hic Solem accipiet, caeloque fruetur aperto,
74 et fructus longe meliores proferet arbos :
75 gaudebunt illic nati de semine flores ;
76 paulatim haec tellus succos dediscet agrestes
77 emendata fimo : cultum si dura recuset
78 et sterilis nimium, et nulla superabilis arte,
79 fundum omnem exhauri, et meliorem suffice terram,
80 qua vicinus ager de se nimis uber abundat ;
81 si quis amor, teneatque tui te gloria ruris,
82 non pigeat plenis terram asportare canistris :
83 aspera mitescet sensim natura locorum,
84 nec sese agnoscet nativi oblita rigoris.
85 Sic dabat et leges, sic et praecepta colonis,
86 plantandique modos, et tempora certa docebat :
87 quin et adoptivos teneris includere ramos
88 arboribus monstrabat : habent sua foedera plantae :
89 cunctis seminibus vis indita, et indita plantis,
90 qua vel amant jungi, vel foedera jussa recusant ;
91 sunt odia arboribus, sunt et quoque mutui amores,
92 haec sociam petit, et plantae se jungere amanti
93 quaerit, et oppositis se caelo attollere fulcris.
94 Quod facile observes : dum crebra perambulat auras,
95 et se inclinat amans pendentibus undique ramis,
96 ipsa suos prodit, simul et testatur amores.
97 Illa superba suis, opibus non indiget ullis,
98 commendata suo satis et ditissima fructu
99 consortem timet, et succos miscere refugit.
100 Haec tamen advertas : truncum ditabis inertem
101 connubio rami alterius, nam sponte dehiscit,
102 et vulnus patitur fructus melioris amore.
103 Gaudebit sterili nova poma ostendere trunco
104 arbor, et ipsa novas jactabit adultera frondes.
105 Si mendax fundus, mendaci credere fundo,
106 ne sata permittas, quae sub tellure profunda
107 radices altas caeca in penetralia mittat ;
108 nam tophus scaber aut urens argilla, latensve
109 creta nocet saepe arboribus, quae sicca negabit
110 vitales succos, animaeque alimenta fovendae ;
111 nec metuenda minus vitabis scrupea saxa,
112 nil humoris habent, paulatim nobilis arbor
113 languescet moriens saxosis credita terris ;
114 sed fibris quae mordet humum levioribus, omni
115 se monstrantem agro, florum plantabis amoenam,
116 surgere mane novo quam contemplabere, silvam.
117 Haec pluvii nisi roris eget, facilique labore

118 crescet et innato mulcebit odore colonum.
 119 Haec praecepta memor servaveris, omnia cedent
 120 agricolae, laetis accedet copia campis,
 121 et sterilis nuper jam se mirabitur hortus.
 122 Addiderat majora, sed haec praecepta ferentem
 123 abrumpit Lodoicus, et illum praeficit hortis,
 124 illum adeo insignem, cui se natura videndam
 125 omnino exhibuit, nondum intellecta colonis.
 126 Regales ubi Quintinius circumspicit agros,
 127 qui dudum ingratis regionibus insidet horror,
 128 in Libyae montes, loca dura, et inhospita saxa
 129 secessit ; nova tunc facies felicibus hortis :
 130 quin etiam sentit tellus inarata colonum,
 131 et regale solum hoc uno cultore superbit :
 132 hinc dubium est, an praeclarae plus debeat arti,
 133 quam natura sibi : usque adeo labor utilis arvis.
 134 Hic hiemes nil juris habent ; laeta omnia, laeta
 135 vernat humus, pulchris se ostentat fructibus arbor,
 136 seque ornant variis depicti floribus agri ;
 137 sunt silvae ingentes, sunt et nemora alta, recessusque
 138 umbriferi, insanae loca tuta tumultibus Aulae.
 139 Versaliis visa hinc Pomona feracior arvis,
 140 florigerum caput attollens, calathisque tumentes
 141 ostentans natos e fundo divite fructus,
 142 Regales inter par Nympha incedere Nymphas.

AD MELDENSIUM EPISCOPUM JAC. BENIGNUS BOSSUETUM
 RELIGIONI SE EXCUSAT ACCUSATUS, QUOD POMONAE, CUM DE RE HORTENSI
 SCIBERET, VOCEM USURPASSET.
 POETA CHRISTIANUS.

P_110 v.1 Non te deserimus, quam primis hausimus annis,
 2 Relligio, sacri custos sanctissima Veri,
 3 fida comes, tutela, et pectoris hospita nostri,
 4 non te deserimus. Raptos tibi nuper honores,
 5 atque parum castis violatas cantibus aures
 6 conquereris : nostrum ah ! permitte refellere crimen,
 7 si quod inest, et te vel iudice dicere causam.
 8 Lusimus, et nuper Pomonam induxit in hortos
 9 ruris amans, morisque tenax mea Musa vetusti ;
 10 quod scelus hoc nostrum est ? Quo damnas jure poetam ?
 11 Non perit inde tuis reverentia debita Sacris.
 12 Conveniunt aliquando leves post seria ludi ;
 13 inde animos capit, et dulci recreata labore
 14 mens ad opus longe redit acrior ; et sua Musis
 15 otia sunt : libram interdum Themis ipsa remittit.
 16 Grandia fulta sua se majestate tuentur.
 17 Unde times ? Primum teneri si floris honorem
 18 ludentes circum zephiri mulcentibus alis
 19 tantisper laedant, fixas radicibus altis,
 20 non ideo avellunt annoso robore quercus.
 21 Non hic venantum, feriant qui corda sagittis,
 22 mollibus in pratis ludet chorus omnis Amorum,
 23 nec spurci mala furta Jovis, Venerisque nefandae.
 24 Turpia adulteria, et non legitimos Hymenaeos
 25 aegra fronte leges ; pura omnia, et omnia sancta
 26 quae vel inoffensa poteris jam cernere mente.

27 Unde meum crimen, cum se Natura recludat
28 sponte sua, et gazas hortorum evolvat apertas,
29 scribere, et aeternis scribendo exponere saeculis ?
30 Sunt sacra Naturae mysteria, pervia sacris
31 vatibus, et calamis non permittenda profanis.
32 Nec fandi modus est simplex, unusque Poetis :
33 mille artes et mille modos, et mille figuras ;
34 dantque novos vultus, titulosque et nomina rebus.
35 Res ita mutatae sua nomina perdere gaudent,
36 sublustrique magis verborum nocte refulgent.
37 Nonne tui Vates manifesto numine pleni
38 increpitant maria ? Atque manu dant plaudere magnis
39 fluminibus, celsosque jubent descendere montes,
40 et valles sese erigere, et gestire superbos
41 agnorum in morem nutanti culmine colles ?
42 Quin etiam nubes, durumque liquescere Caelum
43 in pluvios fontes, subitoque rigescere mandant.
44 Ad nutus properant Morbi, Pestisque, Famesque,
45 terribiles visu formae, et cum falce minaci
46 praedatrix, gravis exuviis, atque ossea tota,
47 mors truculenta venit, stridensque, equitansque per auras,
48 cuncta metit, vastatque suis cum civibus urbes.
49 Nonne etiam pueris aptant caelestibus alas,
50 lactea colla, pedesque, manusque, simillima nostris
51 oribus ora, sonos addunt, mutisque loquelas ?
52 Et ludens Pomona tuas male verberat aures ?
53 Crediderim simulasse iras, causamque querelae,
54 nec calamos in me letali armasse veneno.
55 Tu, quae mitis amas miserorum ignoscere culpis,
56 cur tenuem ob noxam, vatem indignata rebellis ?
57 Te non ira decet ; capimus tua jura volentes,
58 se tibi majestas soliorum et regia sceptrum
59 submitunt, pavidi tibi ponunt arma tyranni.
60 Fulgentem radiis et toto numine cinctam,
61 Infernae te acies, te te impia Tartara pallent,
62 quin etiam ipse tremens duri dominator Averni,
63 ad primos vocis sonitus, caput abdit in antris
64 nocte sua vix tutus : et ipsa impervia telis
65 florigerae Nymphae vocem turbaris ad unam ?
66 Non tibi fas sine jure queri, servata tot annos
67 Relligio, tibi thura damus, tibi ponimus aras,
68 et tibi mansuetos templorum augemus honores.
69 Nonne vides ut pulsa procul tibi cesserit omnis
70 barbaries verborum, ut blanda vocabula duris
71 successere sonis ? Nitor unde et casta venustas,
72 quae te virgo decet, nostris sese explicat hymnis.
73 Nil majestati, qua te super aethera tollis,
74 detrahitur, sunt et verbis et rebus honores.
75 Legitimi puro exsultant in carmine sensus.
76 Qualis nuda, suo quae gemma accenditur igne,
77 quam digitis virgo gestare micantibus ambit,
78 ornari egregia quamprimum vellet ab arte ;
79 aurum opifex addat, peregrinos addat honores,
80 illa laborato jam vincta ardebit in auro
81 pulchrius, et veniet laudis pars multa metallo.
82 Te legit, et relegit, musisque operata juventur
83 sinceris sitiens doctrinam e fontibus haurit,
84 Divinumque bibit pulchrae virtutis amorem.

85 Nos deceat Vates caelestem accendere flammam ;
86 cantibus et nostris ad fortia ducere facta
87 egregios juvenes, magnumque in nomen ituros.
88 Intractabile opus, Romana incude subactum,
89 mirata est nova Roma, novis se agnovit in hymnis
90 Roma vetus, mater Latii, custosque nitoris.
91 Non est unde tuis dicar nunc transfuga castris.
92 Ante tuas, memini, Phoebum ejuravimus aras,
93 indecores nugas, et ludicra numina vatium
94 exuimus ; teneris et adhuc pubentibus annis
95 altius haec animo figmenta impressa sedebant.
96 Propositae pulchro laudis succensus amore.
97 Fandi mille artes, mille ornamenta petebam
98 implorans Superos omnes, si flectere possem,
99 haec lusus puer arte, meoque errore beatus.
100 At nunc, qui duce te, te sola afflante magistra,
101 alta, aeterna cano summi decreta Tonantis,
102 quique polum terris sacra per commercia junxi,
103 quando Deum et Superos templis resonare dedisti.
104 Dux operum mihi Christus, opem feret unus amicam,
105 unus Numen erit, fons rerum et lucis origo.
106 Non alio ardescat fecundum Numine pectus.
107 Si quid ego aggrediar pro cultu, arisque tuendis,
108 caelicolum radiantem aulam, magnumque Tonantis
109 describam Imperium, ut Verbum de mente paterna
110 aeternum, omnipotens, et inenarrabile Verbum,
111 exiit, humanos moriturus ut induit artus,
112 factus homo : rapidos ascendam audacior axes,
113 et qui luce sua veluti se tegmine cingit,
114 inter terrificae rutilantia fulgura lucis,
115 fixa mente petam, et penitus velata latentis
116 interiora Dei sublimi carmine pandam.
117 Non ego furtivas Solis de lampade flammam
118 surripiam, nec Castalios potabo liquores ;
119 sed quae totum urit sanctis ardoribus Orbem,
120 scintillam sacris rapiam e fornacibus unam ;
121 particulam vates divinae mentis habemus.
122 Ergo sume animos, te dignos concipe fastus,
123 sub pedibus quae monstra vides, sata nocte profunda
124 Tartareae pestes rupto ex Acheronte profectae,
125 nequicquam caput attollant : dum maximus ultor,
126 Bossuetus vi multa obstat, calamoque pedoque,
127 erumpant superas ne rursus lucis in auras.
128 Nec tibi nunc fraudes, furta insidiaeque timendae,
129 ex quo jam attriti infelicia semina monstri,
130 non cessat tanti socius Pelisso laboris,
131 relliquias tristes tanto rescindere regno.
132 Quae decora alta olim plectroque tuba que canebam.
133 Quin etiam citharas, et plectra, tubasque sonantes,
134 vocalesque simul nuper mea gaudia, cannas,
135 figimus ad sacros ultro donaria postes ;
136 quae te, si jubeas, iterumque iterumque sonabunt.
137 Si tamen haec, vix crediderim, te cura remordet,
138 nec semel offensam liceat componere mentem,
139 audite haec seri, atque animo servate nepotes,
140 et sapite exemplo ; frangam mea plectra, tubasque,
141 avulsasque manu discerpam in vertice lauros,
142 et vestem exutus, densa comitante caterva,

143 compita per longarum et per salebrosa viarum,
 144 depositoque supercilio jam inglorius ibo,
 145 et gestans taedam ardentem, restique revinctus
 146 colla, manusque ambas, caput atro pulvere turpis
 147 nudus et ipse pedes, qualem decet esse nocentis.
 148 Ibo, ibo augusti majora ad limina templi
 149 detestansque scelus voce alta, et poplite flexo,
 150 fletibus et crebris ululatibus, et lamentis :
 151 qua potero, laesi placabo numinis iram ;
 152 felix ! si gremio lacrimantem, et acerba gementem,
 153 excipiat mitra effulgens, in vestibus aureis,
 154 per quem Relligio manet inconcussa, Sacerdos.

IN VILLAM ILLUSTRISSIMI ECCLESIAE PRINCIPIS JACOB BENIG. BOSSUET,
 EPISCOPI MELDENSIS, INSTITUENDO DELPHINO FRANCIAE OLIM PRAEFECTI.
 VILLAE NYMPHIS SE EXCUSAT, OMISSIS EARUM LAUDIBUS, OBJUSSA DOMINI,
 QUO ABSENTE, FUTURUM CARMEN PROMITTIT.

P_111 v.1 Germinii colles, vos et nemora alta, recessusque
 2 umbriferi silvarum, et tu quoque Matrona, castas
 3 flumine suspenso qui praeterlaberis aedes :
 4 vos etiam longe a strepitu, vos pace sub alta,
 5 otia blanda, simul purae bona gaudia mentis,
 6 quae tanto incolitis felices hospite campos,
 7 si vos non cecini, quamquam meruistis, amicum
 8 indicta causa non accusate Poetam.
 9 Vestris qui dominus, custos qui praesidet agris,
 10 detinet attentam, nec fas avertere, Musam.
 11 Vix juris sinit esse mei, vatemque reposcit.
 12 Ille est, qui procerum numero selectus ab omni,
 13 Regalis pueri, (Rex tota hoc mente petebat)
 14 Delphini mores in publica commoda finxit.
 15 Nec vos affari, lepida neque ludere Musa,
 16 nec calamos inflare licet ; vetat esse jocosum
 17 vindicibus poenis, qui me tot numina vatium
 18 ejurare, Deo plenus meliore, coegit.
 19 Non bene conveniunt, rerum inter seria ludi ;
 20 et pudor est miscere jocos, dum mente volutat
 21 consilia aeterna, et summi decreta Tonantis,
 22 et quo Relligio stetit inconcussa, Sacerdos.
 23 Illius in toto legitur sapientia vultu,
 24 aethereique ignes, et purae fulgura lucis
 25 augusta de fronte micant. Quod si ora resolvat,
 26 caelesti eloquio mentes rapit ; est fua verbis
 27 gratia juncta comes ; mira dulcedine, flecti
 28 indociles animos, et ferrea pectora mulcet.
 29 Et sua dat sacris, quas tractat, pondera rebus.
 30 Aspiciat ut rutilos clementia frontis honores
 31 temperet, ut blando se ostendat amabilis ore
 32 majestas, trepidoque favens et amica clienti.
 33 Ne tamen atra caput Stygialibus efferat antris
 34 pernicios regnorum, amens sine legibus error ;
 35 olli Relligio sua tela et fulmina cessit.
 36 Tartareae pestes rupto ex Acheronte profectae
 37 terribilem sensere ; suae jam noctis amantes
 38 se pavidae abscondunt ; teneant sua regna ; nec ultra,
 39 relliquiae tristes, laceri gens posthuma monstri,

40 inficiant terras et flatibus omnia foedent.
 41 Illo crediderim latitare in pectore Numen :
 42 nec mihi jam, laudata olim vos rura placetis.
 43 Colles Germinii, nuper mea gaudia, colles,
 44 vallesque umbriferae, nemora alta, sacrique recessus,
 45 fluminaque, et fontes, non jam mihi numen habetis.
 46 Nulla Dryas silvis, nec ludit Naias in undis.
 47 Quamquam, praecipio, liceat tibi, Matrona, tanti
 48 praesulis aspectu celetes suspendere fluctus.
 49 Hic, quid dissimulem ? Vestro succensus amore
 50 vestri ruris amans, nec iniquo numine plenus,
 51 promissos dudum meditabar solvere versus ;
 52 me mihi surripuit Domini praesentia vestri.
 53 Nec quicquam lugetis : inanes sistite luctus ;
 54 tempus erit, quo Musa memor reparabit honores.
 55 Versalias Arces, ubi publica fata reguntur,
 56 mox repetet ; dudum absentem Rex sentit, et omnis
 57 curia suspirat reducem : suadete regressum.
 58 Et tunc solus ego loca sola ; omnesque beati
 59 ruris delicias, tandem mihi redditus ipsi,
 60 non infelici celebrabo carmine Vates.

AD MELDENSIUM EPISCOPUM JAC. BENIGNUM BOSSUETUM.
 NUMQUAM AD FABULAS, QUAS EJURAVIT, REDITURUM SE SANCTIORI SACRAMENTO
 OBLIGAT POETA CHRISTIANUS.

P_112 v.1 Rident amici, nec sibi sat imperant ;
 2 ridendo totam concitant Lutetiam,
 3 et vulgus in me Litteratorum movent.
 4 Ridet Ruaeus, meque perjurum asserit
 5 jam jam futurum ; scilicet constem tenax
 6 propositi ? Iniquus, et Camenas deseram ?
 7 Dulces Camenas, quas puer fovi sinu,
 8 et quas amavi juvenis, et colui senex ?
 9 Inter Poetas nullius jam nominis
 10 me mille sannis, mille me dicteriis
 11 jam jam obruendum. Sic monebat, qui meo
 12 semper studiosus consulebat nomini.
 13 'Amico amicus consulit prudens suo.'
 14 Quin et modeste se remittit paululum
 15 gravitas Juvenci, nec faceto scommate
 16 sagax Frugerus, noster interdum, caret.
 17 'Grata est amantum semper objurgatio.'
 18 Etiam Tarillo vix cachinnos comprimens,
 19 amans jocari se addidit jocantibus.
 20 Timendus hostis, dum furit oestro percitus,
 21 mordet jocando, quam memini ! Portant necem,
 22 quae vibrat atra bile nata carmina.
 23 Truces iambo si semel contorserit,
 24 actum est, perimus, nec sacri, quos edidi
 25 plaudente caelo, Disque comprobantibus,
 26 servare poterunt hi modi Santolium.
 27 Ast inter omnes lepidus, et belle procax.
 28 Litem excitabas, et jocis me provocans,
 29 ira serenus tu fruebaris mea,
 30 Joberte, vatibus augurari si licet,
 31 hic ille risus non carebit luctibus.

32 Pamphilio totus in cachinnos solvitur,
33 ni cesset, aeger pulmo rumpetur brevi.
34 Moriens, et omnes nos simul coget mori.
35 Quae causa risus insolentes excitat ?
36 Me nempe rident, quod deos, et fabulas,
37 nugas aniles, nuper ejuraverim.
38 Ceu mentis impos, stultus, inconsultior,
39 me tam severis obligarim legibus,
40 quot inde, quanta praevident perjuriam ?
41 Super haec amici multa de me garriunt,
42 sannas et addunt, et graves sententias,
43 "Mos est poetis, qualis est amantibus",
44 stat nulla verbis, nulla promissis fides,
45 uterque sancto se sacramento obligant,
46 se judicant, se pariter absolvunt rei.
47 Decepti amantes, quas movent tragoedias ?
48 Audi querelas, cuncta tumultibus replent ;
49 testantur aras, Tempia, Res sacras, Jovem ;
50 omnesque Superos, devovent Diris caput,
51 corpusque flammis, ne memores injuriae
52 trahant odiosam nocte pejorem diem.
53 Haec poena levior, si data excidant fide,
54 truces equorum provocabunt ungulas.
55 Se velle vivos, et sibi superstites
56 ridere trunci vulsa membra corporis.
57 Haec sub profundo cuncta vivunt pectore,
58 Dum fervet animus ; se calor remiserit.
59 Altis medullis qui sedet latens Amor,
60 resurget iterum, de quiete fortior :
61 sic suscitatur se, sic novas vires capit
62 cinere doloso tectus igne dum latet.
63 Furor ille ludus est, sibi mentitur furor.
64 Sors illa vatibus, ultimum dicunt "vale"
65 Musis profanis ; num patent Apollini
66 deo dicata Christiana pectora ?
67 Figmenta vatium dedecorant viros graves.
68 Mittenda pueris haec priorum somnia :
69 illos poetas, quos agit sacer furor,
70 vero putares pleniores, Numine ;
71 sed ridet alto montis e cacumine
72 Apollo, Musae vix cachinnos continent.
73 Nam pulchra scribendi offerat se occasio ;
74 mutantur, acti paenitet tum foederis,
75 ardent, anhelant, impotentes et sui
76 Phoebum incubantem mentibus vix sustinent,
77 partu ne in ipso mens gravis Phoebus crepet.
78 Mox tota Divum veniet ad calamum cohors.
79 Quos spreverant irati, et onerant probris,
80 jam supplicat, venerantur, agnoscunt Deos :
81 Versalia pingant rura, mox pingentibus
82 regalis offert Nympha se custos loci.
83 Laetos in hortos currere quot fontes vident,
84 vident sub imis fontibus tot Numina :
85 sua quoque Silvis, et latet fugiens Dryas
86 secura quercus sub vetusto cortice.
87 Vernis fluentes vineta floribus comas
88 Pomona calathos fructibus grave ; feret,
89 et nata fundo poma monstrabit suo.

90 Trepidant et amnes, mugiunt, pallent, tremunt
 91 male tuti in antris, fluctibus condunt caput,
 92 tonante Bello ; Pax redux si venerit,
 93 surgent ab undis, mille Dis ovantibus
 94 agent triumphos, et cava concha advolans
 95 pacata Triton personabit aequora.
 96 Sic mussitabant non inepti Judices,
 97 vix recta de me sentientes ; sed mea
 98 illis repono fisis innocentia.
 99 Hac lege deinceps si Poeta vixerim,
 100 omnes ad auras perfidus, versatilis,
 101 pulsus sacratis e poetarum choris,
 102 lauro revulsa nudus inhonorum caput,
 103 infamis, excors et profanus exsulem.
 104 Et vos, sodales, me meis relinquite.
 105 Permitto, fatis ; monstret, et sim dedecus,
 106 ludusque vatum, pauper, incerti laris
 107 fugitivus, errans, exsul a dulci domo,
 108 pannosus, aeger, longa quem premet fames,
 109 Bacchoque caream, poena quae gravissima !
 110 Corrodam et ungues, more praegnantum, exeat
 111 informe carmen, noctis ingratus labor,
 112 quod ipse vates, et sequens lux horreat ;
 113 mox optimatum splendidas penetrans domos,
 114 trepidante carmen illud obtrudam manu,
 115 quod purpuratus vix Senator perleget ;
 116 tam dura mendicus patiar fastidia.
 117 Levia illa : longe poena me gravior manet,
 118 bis proditorem, bis profanum transfugam,
 119 quem paenitentem pedibus affusum tuis,
 120 sacras ad aedes Pontifex. Absolveras
 121 Bossuete, nostri splendor et lux saeculi,
 122 suum quem avita sensit ultorem Fides.
 123 Horresco scribens, torpet, et cadit manus.
 124 Non liceat unquam colloquio frui tuo,
 125 nec frontis augustae gravitatem ; nec tuum
 126 vultum videre, quo beas, qui te vident.
 127 Nec perspicacis ingeni facundiam
 128 audire, victam quando fulminea manu
 129 suam reverti cogis ad noctem Haeresim ;
 130 hanc, hanc subibo, qua nihil crudelius,
 131 quam non Tyranni cogitarunt hactenus,
 132 poenam insolentem, criminibus dignam meis.

AD CHRISTUM ET SANCTOS IN OUORUM HONOREM HYMNOS CECINIT, DEPRECATIO.

P_113 v.1 Quod supplex tibi, Christe, tuis affusus et aris,
 2 dedico : ne miseri respue vatis opus.
 3 Hac quae scripta tenus sine te, data praeda favillis
 4 pervolitent, meritis scripta pianda rogis.
 5 Marmora dissiliant vatem indignata profanum,
 6 vanus, et a sera posteritate legar.
 7 Inscribi aeternis sola haec mea gloria Fastis :
 8 illa sacros vates gloria sola decet,
 9 o nostri miserere, humilemque agnosce Poetam,
 10 qui non sese audet dicere jure tuum.
 11 Ante aras, o Christe, vides, me multa gementem,

12 et madida effusis fletibus ora vides.
 13 Hic mea me incusant, hic semper crimina pungunt,
 14 crimina, quae vasti non lavet unda maris.
 15 Supple, oro, me fusa tui vel sola cruoris
 16 gutta piare potest ; quae scelus omne piat,
 17 an Servatoris nunc esset inutile nomen ?
 18 Olim polliciti sis memor usque tui.
 19 Quo valeo versu, te iratum flectere conor,
 20 ne sis dissicilis, non decet ira patrem.
 21 Sed si, Christe, minus fueris placabilis, audi,
 22 quas fundet pro me turba beata preces.
 23 Et vos, Divi omnes, praeconi assistite vestro,
 24 vester si praeco est, qui fuit ipse sui.
 25 Et tu, Virgo parens, non dedignare clientem,
 26 qui te saepe vocat, tu bona saepe faves.
 27 Placabis, Genitrix, poteris nam flectere Natum,
 28 si nequeo nostris flectere carminibus.
 29 Hoc solamen erit, cum mors mea presserit ora,
 30 te, Christe, his hymnis, nocte dieque canam.
 31 Nomine tuta tuo, vix carmina nostra peribunt,
 32 aeternae Fidei pignora certa meae.
 33 Non inferna sonent nostris ululatibus antra,
 34 carminibus nostris dum tua templa sonant.
 35 Nec crucies flammis, qui puris ignibus arsit,
 36 interdum laudis raptus amore tuae.
 37 Me potius superas admitte benignus in arces,
 38 cantem ubi cum Superis et sine fine melos.

AD LIBRUM HYMNORUM PRODEUNTEM IN AURAS
 SUB AUSPICIIS S.R.E. CARDINALIS BULLONII, PRINCIPIS DE TURRE ARVERNIAE.

P_114 v.1 I, Liber, ecce tibi totum datur ire per Orbem ;
 2 ex quo Bullonius, Latii pars magna Senatus,
 3 te placido vultu, manibusque excepit amicis ;
 4 nam memini, quantis te docta per otia Princeps
 5 captus amore tui, cumularit laudibus, ut te
 6 incoepit legere, et primos percurrere versus.
 7 Nempe tuo insignis titulo, formaque placebas ;
 8 quin et lectorem res intentata trahebat.
 9 Non cessabat opus laudare, simulque Poetam.
 10 Testis eram ; te saepe legens, noctesque diesque
 11 et relegens, doctae studia intermissa juventae,
 12 olim delicias, jurataque foedera Muis,
 13 secessu in placido, sese renovare canebat.
 14 Pertaesus jam dudum haud aequa mente ferebat,
 15 simplicitate rudes, et majestate Tonantis
 16 non dignos adeo, quos Error scripserat hymnos
 17 praetextu pietatis, et ignorantia vatium.
 18 De me, deque tuis, semper mihi, care Libelle,
 19 non ita carminibus Princeps censebat amoenus :
 20 quippe tuus nitor, et verborum culta supellex,
 21 et gravitas rerum, et rebus suos ordo placebat.
 22 Quis mihi tum sensus ! Vos o memorare potestis,
 23 Cluniacae valles, loca sola, umbraeque silentes,
 24 et nemora et sanctis habitata heroibus antra.
 25 Omnia erant mihi laeta ; animo nil amplius ultra
 26 optabam, tot muneribus, tot honoribus auctus,

27 jam me divinis audebam aequare Poetis.
 28 Et tibi, parve Liber, quis honos, quae gloria sanctis
 29 dum manibus Princeps volvit te, et saepe revolvit,
 30 miratus magnos in versu simplice sensus ?
 31 Hinc magis elatum te vidimus, atque tumentem
 32 insolito fastu, te fastus et ille decebat,
 33 foederibus sacris qui terras jungis Olympo.
 34 Quin tu, scilicet unus, ad alta negotia nati
 35 Principis affixum et pectus mentemque tenebas ;
 36 nam rerum occurrens nova semper imago legentis
 37 pascebat recreans animum, sub imagine magna
 38 Heroum admirantem ingentia facta piorum.
 39 Nunc tibi mole graves, operosa volumina, libri.
 40 Decedant ; brevitatem tua, cultuque placebas,
 41 o felix nimium, et tanto Lectore superbus !
 42 Et posthac rabidos morsus, unguisque timebis ?
 43 Ergo age, Bullonio placuisti ; exire per auras
 44 Quid metuis ? Divinus Amor tibi commodat alas.
 45 I, penetra geminos axes, et, dissita regna,
 46 extremosque hominum Japonas ; tibi terminus Orbis
 47 non fuerit, perge ulterius, terrasque relinque ;
 48 caelum meta tua est ; superis te sedibus infer,
 49 unde venis. Nobis immensa palatia Divum
 50 jam per te reserata patent, das pervia vivis
 51 templa subire Dei, et sanctos intrare recessus ;
 52 Caelestesque suo simul ordine cernere turmas,
 53 virtutesque, chorosque omnes, caelique Quirites,
 54 quos inter video radiis et veste micantem
 55 purpurea modo Bullonium ; qui frontis honores !
 56 Quale jubar vultus ! Patrio securus Olympo,
 57 insano procul a strepitu, et popularibus auris,
 58 supra hominum sortem, nil jam mortalia curat.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI CAROLO PRADEL, EPISCOPO MONTISPESULANO.
 QUO MORE AC MODO RECITANDAE SUNT A CLERICIS HORAE CANONICAE.

P_115 v.1 Alterno Jessaea choro quae Carmina psallis,
 2 aeternas Gens nata Deo persolvere laudes,
 3 hic tibi servandas, quas scripsimus, accipe leges :
 4 qui formavit, habet, quibus audiat, et Deus aures.
 5 Maxima debetur sacris reverentia templis.
 6 Haec habitat Deus, et praesenti numine replet.
 7 Hujus ad aspectum purae sine corpore mentes.
 8 Terrificae trepidant crebra inter fulgura lucis.
 9 Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipso
 10 ingressum paveas, sceleris neque conscius intres
 11 Tempia augusta : sacris Deus est penetralibus ultor.
 12 Si quid at impuri contraxeris, elue labem
 13 pestifera. Mundis oculis sint omnia munda.
 14 Pectoris ille tui sacros habitare recessus
 15 plus ambit, quam juncta simul certo ordine saxa.
 16 Sic loca sancta, metu posito, lustratus adibis,
 17 et solves divina tuam in praeconia linguam.
 18 Ne venias, placare cupis si numinis iram,
 19 elatus caput, et bene compto bellulus ore,
 20 promissoque capillitio, nec odoribus unctus
 21 allicias spectantum oculos, nec veste placebis,

22 moribus at puris. Satis ornat splendida virtus.
 23 Ne rerum species violent sacraria mentis,
 24 captivos sensus dura sub lege tenebis,
 25 acceptoque jugo dociles tua jussa capessent
 26 mentis ad imperium. Multum est componere sensus.
 27 In toto sedeat depicta modestia vultu,
 28 ut qui te videat propiori numine tactus ;
 29 sentiat esse Deum praesentem, et pronus adoret.
 30 Ne nimium celeri confundas omnia cantu.
 31 Sed paveas ad verba, ipso dictata Tonante.
 32 Plena Deo sunt verba. Moras servare memento.
 33 Cantanti prosunt, seu pectora fessa subinde
 34 respirent, seu mens quod profert lingua, revolvat,
 35 et sacras voces arcano ruminet ore.
 36 Ad numeros hilarem ne lentus protrahe cantum.
 37 Nec te adeo recreet vocis sonus : intima rerum
 38 scrutare, et sensus tecum meditare profundos.
 39 Non incompositis laedas clamoribus aures.
 40 Nec levioere sono molles imitabere cantus,
 41 fractaque femineo supplantans verba palato,
 42 captabis plausum indecorem : nam talia temnit.
 43 Vota, precesque Deus. Puri suspiria cordis,
 44 et tacitos gemitus attentis auribus audit.
 45 At neque cantanti rictus distorqueat ora.
 46 Vastior et rupto se vox de gutture trudat,
 47 unde solent resonare immani templa boatu.
 48 Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
 49 e solio, nil vocis eget. Vos surda, Prophetae,
 50 numina, necquicquam valido pulmone vocastis.
 51 Concordes animos monstret concordia vocum,
 52 par studium. Varia pro condicione locorum
 53 rite observentur, quae sunt praescripta quotannis.
 54 Absint bella, procul sacris discordia templis.
 55 Ancipiti in ritu si quid peccatur, in ipso
 56 substituens melius momento corrige, dum res
 57 et tempus tulerit. Si qui tibi forte resistant,
 58 nec valeas solus contra te opponere turbae,
 59 errorem permitte. Deo gratissimus error !
 60 Mox cujus fuerat melior sententia, prudens,
 61 paulatim cum se male nata remiserit ira,
 62 errorem ostendas, et erit tibi gloria major.
 63 Ne tibi longa nimis subeant fastidia cantus,
 64 te super astra feras ; propriis mens libera vinclis
 65 audeat interdum sedes percurrere sanctas,
 66 caelestesque intrare domos. Te junge supernis
 67 obviis agminibus, superisque admixtus adora
 68 quem Caeli prona aula canit, quem terque beatum,
 69 terque canit sanctum. Sic tu novus aetheris hospes,
 70 laudare incipies quem mox laudabis in aevum.
 71 Pectus inundabit quam pura, et sancta voluptas !
 72 Felix, qui nondum exutus mortalia membra,
 73 has retinens leges, patrio praeludit Olympo !

IN ANT. ARNALDI COR, AB EXTERIS AD PORTUM REGIUM PROPE PARISIOS,
 UBI DIU COMMORATUS EST, OLIM FUERAT ALLATUM. EPIGRAMMA.

P_116 v.1 Ad sanctas rediit sedes, ejectus et exsul :

2 hoste triumphato, tot tempestatibus actus
 3 hoc portu in placido, hac sacra tellure quiescit
 4 Arnaldus veri defensor, et Arbiter aequi.
 5 Illius ossa memor sibi vindicet extera tellus :
 6 huc caelestis amor rapidis cor transtulit alis,
 7 cor numquam avulsum nec amatis sedibus absens.

SANTOLII VICTORINI AD JOSEPHUM JUVENCUM S.J. EPISTOLA,
 QUA SE ABSOLVIT DE INJURIOSO EPIGRAMMATE INCUSATUS.

P_117 v.1 Scilicet egregias qui me duxere per artes
 2 perfidus in doctos saevirem impune Magistros ?
 3 Unde mihi nomen, decus unde et gloria venit
 4 et pietas, et relligio, virtusque, fidesque
 5 et probitas morum sacri quoque regula veri,
 6 hos ego mordaci lacerarem dente Magistros
 7 crudelis ? Talem terris avertite pestem
 8 ultores superi : quid vos tardatis ? In ima
 9 ah ! nimis ingratum detrudite tartara vatem.
 10 Cossarti e tumulto turbata resurgeret umbra,
 11 degenerem increpitans et me terreret alumnum ;
 12 et me torva tuens contracta fronte Vavassor
 13 exspueret male nata, et egentia carmina lima.
 14 Elysias valles, vernis quas floribus ornat,
 15 questibus impleret quondam mea cura Rapinus,
 16 et quos Virgilius vellet scripsisse, nitentes,
 17 flores unde lego, durus mihi clauderet hortos,
 18 ingens Commirius, cui pono tubamque chelynque,
 19 et calamos, me alto sacri de vertice montis
 20 truderet in praeceps, foedamque haurire paludem
 21 Parnassi puro depulsum fonte juberet,
 22 [LACUNE]
 23 Tum ranas intermutata voce loquaces.
 24 Quin sacer Orator meliori numine plenus,
 25 qui, quos excoluit, nobis dedit ire per hortos,
 26 et Pindi juga laeta, suosque accedere fontes,
 27 sacrilegum vatem, solio sublimis ab alto
 28 fulmine dejiceret jam non meus ille Ruaeus.
 29 Nec me tot maculis, et foedum turpiter ora
 30 amplius ablueres (scis nempe polire) Juvenci.
 31 Dum loquor, ecce omnes me musae crimine tanto
 32 absolvunt, me vos etiam absolvistis Amici.
 33 Improbis ille fuit, qui chartae impune volanti,
 34 apposuit nostrum renovanda ad proelia nomen,
 35 demens ! Qui tantam speravit inurere labem
 36 et nostrae quid detrahere, atque insurgere famae.
 37 Et mihi quot pietas aeterno foedere junxit,
 38 par studium Musarum, et virtus fecit amicos,
 39 tot facere adversos vulgatis versibus hostes.
 40 Hunc ego crediderim Furiis Stygialibus actum,
 41 et tinxisse manum nigra Phlegethontis in unda
 42 fraude sua capitur ; pigros magis excitat ignes :
 43 in me tota ruat ruptis effusa cavernis
 44 effera gens Erebi ; juratum abrumpere foedus
 45 nequicquam poterit, manet, aeternumque manebit
 46 hactenus incorrupta fides, et nescia fuci.
 47 Vos, quotquot Superi, vos conscia Numina testor,

48 nostis enim, vestro quo numine scribimus omnes,
 49 me numquam iratis quidquam scripsisse Camenis.
 50 Impia turparent vestras convicia laudes.
 51 Candida musa mea est, nimium o dilecte Juvenci !
 52 Illa tuis animi candorem e moribus hausit.
 53 Qua caeli Proceres, ipsum qua pingo Tonantem,
 54 hac hac sacrilegus scribam convicia dextra ?
 55 In poenam ! Potius contractis dextera nervis
 56 segnis, iners, torpescat, in ignes inque favillas
 57 quae scripsisset eant ; justa haec pro crimine poena.
 58 Sed quid ego haec autem ? Satis est mihi conscia virtus.
 59 Vilis adulator formas se vertat in omnes
 60 et sibi conciliet simulata mente favorem ;
 61 Non ita nos pleni manifesto numine vates
 62 alta supercilia induimus, nil fraudis egentes.
 63 Nec me multa minans quis terreat obvius ibo ;
 64 et poenas scelerum ultrices, mortesque laccessam
 65 ardens ipse perire mihi si scribere quidquam
 66 in vos, docta cohors, Veri sanctissima custos,
 67 contigerit ; mihi perpetuae, dum devius erro,
 68 lucetis sublime faces, mihi noctis in umbra
 69 affertis sine nube diem, dubiumque per aequor
 70 securus ridebo minas, pelagique furores
 71 his ducibus ; mediis vos ancora firma procellis.
 72 His confisa ratis rectoribus, obvia quaeque
 73 vincet et in tutos nos ducet denique portus.
 74 Vos mihi lux pelago in vasto, mihi praevious ignis,
 75 per vos tuta fides, et constans regula morum,
 76 quam juvat amplecti, nec me tenuisse pigebit.
 77 Salvete, o sacris gens addictissima templis,
 78 praecones Verbi aeterni, queis credita sanctae
 79 per populos omnes vulganda oracula legis.
 80 Per vos plena Deo Doctrinae pura fluenta,
 81 Sinceri et fontes, Rectique, Bonique, Piique.
 82 Hinc illincque fluunt ; istis de fontibus omnes
 83 accipiunt : puris haec pura canalibus unda.
 84 Qui saliant, prompti transmittere ad astra bibentes,
 85 opto non alios, alio non quaerito fontes.
 86 Quos dictat pietas, hos mitto, hos accipe versus,
 87 optimus et iudex, et nostri nominis ultor.

SANTOLII VICTORINI AD EUNDEM JOSEPHUM JUVENCIUM S.J
DE SUO EPIGRAMMATE

PRAETER AUTHORIS SPEM, AC MENTEM DIVULGATO, ET INTERPRETATO.

P_118 v.1 Quid hoc, Juvenci ? Magna de me fabula
 2 narratur, ipse quam tuis gravem auribus
 3 audire refugis, et fidem dubius negas.
 4 Usque adeo abhorres triste, et infandum scelus.
 5 Sis ipse Judex, nam volo te Judicem.
 6 Rem pono nudam, simplici et brevi stylo.
 7 Lis tota, carmen, quod rogatus non semel,
 8 per blanda Musae rusticantis otia,
 9 tandemque victus precibus e cerebro extudi,
 10 rude, haud politum, nec legi dignum satis ;
 11 ideoque quamvis suspicatus nil mali,
 12 tamen reluctans id roganti clam dedi.

13 Simul atque manibus evolavit e meis,
14 cupidus nocendi Livor, et fraudum artifex,
15 nimium sinister mentis interpret meae
16 insultat audax, me bilinguem praedicat ;
17 totam per urbem falsa gaudet spargere,
18 quotquot et amicos longa firmarat fides,
19 facere tot hostes ; his ovat Livor malis.
20 Accusor, et te iudice haud credor reus.
21 Hostis sed urget : me, relecto nomine,
22 scripti volantis prodit Auctorem improbus.
23 Ut certa dubiae constitit chartae fides ;
24 heu ! Quot procellas, bella quae non excitas,
25 amice ? Laesi quantus in nostrum caput,
26 agitante Phoebus, detonat Pindi furor !
27 Sua sunt amicis bella, quae ridens Amor
28 componit ; iras vertit in leves jocos.
29 Nuper me amabas, nam recordor, et tui
30 etiam sodales, mira, si dictis fides.
31 De me canebant ; tu legebas carmina,
32 quae mox jubebas publicas ire in manus
33 a te polita, non nego, qui glorior
34 tali magistro ; tu mihi carus, tibi
35 sic ego ; Poetae quippe nos sacri sumus.
36 Tu nos benignus, facilis, et compos tui
37 excipere suetus, in tuos fidens sinus
38 graves solebam pectoris deponere
39 curas ; prementis dulce solamen mali.
40 Unde igitur illa tam subita mutatio ?
41 Quid hoc ? Poetae, vel levem famae ad sonum,
42 me mille telis, non lacessiti petunt,
43 impune, nostris durus et gaudes malis ?
44 Exclamo, male tu surdus aures obstruis,
45 ceu mollis infans matris egressus sinu,
46 invalidus artus reptat, et jacens humi
47 crebris parentem, qua potest, vagitibus
48 implorat, omnem questibus replet domum.
49 O quam redire vellet in matris sinum !
50 Silet illa prolis immemor, non jam parens.
51 Nescis, Amice, quantus insideat dolor ?
52 Noctes, diesque crucior, et menti incubans
53 semper recursat, quae tuos vultus refert,
54 imago ; nostrum creber objurgas scelus.
55 Dic, quaeso, placidus nos adhuc si respicis,
56 si nostra curas, quod scelus ? Semel datam
57 testes ad aras num tibi rupi fidem ?
58 Quid potuit in me displicere, dic, precor.
59 An carmen illud, quod manu excidit ? Lubens
60 dedisco versus, et Poetae nomina
61 superba pono, plectra, calamos, et tubas,
62 lyram, chelynque, nostra nuper gaudia,
63 vobis relinquo, sacra gens Apollini,
64 laudis Juventus avida. Sat nos lusimus.
65 Non est Poetae vana laus, et gloria
66 emenda tanti ; Musa, laudum prodiga,
67 quae concitavit bella ! Quot tragoedias !
68 Testis, Juvenci, quo mihi nil dulcius,
69 mea et voluptas, et decus quondam meum
70 an carmen illud expiandum sanguine ?

71 Vis in favillas abeat, et vates simul ?
 72 Praescribe poenam : si taces, hanc eligo.
 73 Audi : et nepotes haec legant, haec audiant :
 74 si quid protervum, si tibi minus placens
 75 in scita Patrum dissonum quid scripserim,
 76 ejuro, scripti paenitens, quam maxime.
 77 De Vaticana rupe quidquid impium
 78 summus Sacerdos fulminavit, exsecror,
 79 detestor, horreo. Ictus illo fulmine,
 80 trabeate Doctor, jam mihi non amplius,
 81 Arnalde, sapias. Sola nos doceat Fides.
 82 Haec illa clarum monstrat in tenebris diem.
 83 Inter Sophorum bella dissidentium
 84 magistra Veri sola, custos, arbitra,
 85 o sponsa Christi ! Do tibi, Mater, fidem,
 86 Divina Mater : quidquid admittis, pius
 87 adoro, certa quidquid ejuras, pius
 88 exsecror, et omnes hac procellas rideo
 89 tranquillus inter mille fluctus ancora.

AEGER ET MEDICUS. FABULA.

P_119 v.1 Aeger jacebat fossus alto vulnere
 2 nec spes salutis tunc erat misero super.
 3 Medicus profundum vulnus explorat manu.
 4 Nil inde sperans auspicatus nil boni,
 5 simulat, suaque fretus arte blandiens
 6 solatur aegrum ; sana dicit omnia,
 7 levem esse plagam, non colore livido,
 8 pallere carnes, ante non multos dies
 9 fiet cicatrix, vulnus et jam jam coit.
 10 Haec fraudulenter, ne suo pejor malo
 11 agat furentem stulta desperatio.
 12 Dum saevit intus ulceris caecus dolor,
 13 promissa Medici, spes et inter splendoras,
 14 eheu ! dolore victus exspirat miser.
 15 Quis blandientis exprobret Medici scelus !

AD AMICUM ANONYMUM, SED STYLO NOTUM, ET NIMIS LINCUACEM, RESPONSIO.

P_120 v.1 Quis furor, o docti Vates, pars magna duelli,
 2 armavit rabidas in mea fata manus ?
 3 Nascentes pax lapsa polo sedaverat iras.
 4 In nova me, certus vincere, bella vocas.
 5 Me calamo perimis, ridesque, et clade superbus
 6 ceu victor spoliis, dum stet amicus, ovas.
 7 Magnanimus silvas postquam leo terruit omnes,
 8 non furit in teneram, caede cruentus, ovem.
 9 Haec tibi deerat adhuc victoria ; non satis hostes
 10 sternere ; sternendus dulcis amicus erat.
 11 Quot plausus prona aure bibis, dum me male perdis,
 12 dum tua fama meo crescit ab opprobrio.
 13 Tu nimis effrenem suades compescere linguam,
 14 et tua tincta meo sanguine dextra madet.
 15 Exacuis nova tela, atro tingisque veneno,
 16 in me haud invalida tela vibranda manu.

17 Non sic praedae inhians venator, et horridus armis
 18 insequitur pavidam, dum fugit illa, feram.
 19 Tartareis credam fabricata incudibus arma,
 20 arma nefanda, quibus me cecidisse canis.
 21 Ecce venis vultu metuendus, et asper Iambis.
 22 Te tremerent Thraces, te tremerentque Getae.
 23 Me mordes, me dilaceras, scindisque, trahisque,
 24 ceu leo lambit adhuc vellera caede satur.
 25 Me madidum vino balatrones inter amicos
 26 ludicris mimum pingis imaginibus.
 27 Palmarem me dicis inepto scommate vatem,
 28 palmam cedo, tibi sit rapuisse nefas.
 29 Me pannosum, inopem, cantas vilemque poetam,
 30 Regia quem jam jam munera deficient.
 31 Non ita te cecinit mea Musa, tuosque sodales,
 32 non adeo vilis quos super astra tuli.
 33 An pretium hoc vestro praeconi ? Haec debita merces ?
 34 Haec audite : meum est, laus aliena, scelus.
 35 Quem tua tela petunt, nescis, vatium optime, nescis,
 36 his telis Superos, meque, Deumque petis.
 37 Ecquis honor posthac, quae gloria surget ab Hymnis ?
 38 Per te Santolius fabula plebis erit.
 39 Incipiunt mugire cavo sub fornice templa,
 40 cantibus, heu ! nuper templa sonora meis.
 41 Flet Superi, flet Relligio, flet et optima Virtus ;
 42 aligeri pennis ora pudica tegunt.
 43 Infensus gemit omnis, et indignatur Olympus.
 44 Solus at in tanta clade superbus ovas.
 45 Per te rupta poli jam sunt commercia terris,
 46 sprete pias spernent Numina surda preces.
 47 Es tanti tu causa mali, qui nuper amicus
 48 antiquae fidei pignora certa dabas.
 49 An sic prodit Amor ! Pietas an fallit amicos !
 50 O Amor ! O Pietas ! Vos quis in hoste putet !
 51 Hoc lentus punire oculis Deus aspicit aequis,
 52 jam jam in sacrilegum detonet ira caput.
 53 Pro Musis Furiae taedis ardentibus omnes
 54 cedente Archiloco, dent scelerata loqui.
 55 Quin potius senio gelidos immissa per artus
 56 igniculos mentis pigra retundat hiems.
 57 Dirae omnes teneant mordacem forcipe linguam ;
 58 arida torpescat, laedere nata, manus.
 59 Sed quid stulta loquor, quae me effera torquet Erynnis ?
 60 Desipimus. Laesi Numinis ultor ades.
 61 Frustra conquerimur, tibi plaudimus, hostis amice,
 62 illa est criminibus debita poena meis.
 63 Dum me plectis, amas ; Divos ulcisceris omnes,
 64 agnosco medicam, te feriente, manum.
 65 Quam pretiosa mihi tua sunt haec verbera linguae !
 66 Implacata diu quam pretiosa odia !
 67 I, perge, exhaustum nec adhuc consume furorem.
 68 Sic lustrata Deo victima grata cadam.
 69 Si quid labis inest, tu doctus plectere, purga.
 70 Emendata igni pura metalla fluunt.
 71 Hoc titulo mihi carus eris, mihi semper amicus,
 72 ultorem supple, ante venisque Deum.
 73 Frustra conquerimur, tibi plaudimus, hostis amice,
 74 illa est criminibus debita poena meis.

75 Nam quis ego ? ut penetrem vivis impervia regna,
76 ausus sidereas ire, redire domos.
77 Non fas mortali sese miscere beatis,
78 si nondum exuerit membra caduca, choris ;
79 nec canere heroas, quos vexit ad aethera virtus,
80 si mea sint dictis dissona facta meis.
81 Quam melius factis imitari heroica facta
82 nos deceat ! Divos sic celebrare juvat.
83 Frigida laus Superis, praeco si frigidus aures
84 molliculis tantum mulceat ille sonis.
85 Dum scribo, occurris venia donandus, Amice,
86 irruo in amplexus, hostis amice, tuos.
87 Hac venia tibi, Christe, lito : Patri ipse litabas,
88 dum veniam orabat fusus ab hoste cruor.
89 Ah ! potius pereant vates, et carmina vatium,
90 quam pereat sancto pectore divus Amor.
91 Ergo veni, Lex sancta jubet, mihi carus ab ipsa
92 perfidia, hoc titulo sis meliore meus.
93 Quot cecini Proceres, quos purpura sanguinis ornat,
94 hoc docuere ; fidem, dum tibi parco, probo.
